


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

[N-A 1229] Leibn. Marg. 223


Leibniz-Marginalien in
Andreas Petermann (= Stück 8)
auf S. 6, 7, 11, 16, 17
Unterstreichungen auf S. 9, 10, 15, 18, 19, 25
ibid.

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [2] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [3] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

SCHEDIASMA. POLEMICUM.
EXPENDENS. QUÆSTIONEM.

AN.

DENTUR. SPECTRA. MAGI. ET. SAGÆ.

UNA. CUM.

RECENSIONE. HISTORICA.
PLURIMARUM. HAC. DE RE.
OPINIONUM.

AUCTORE.

CAROLO. FRIDERICO. ROMANO.

LIPSIÆ.
APUD. THOMAM. FRITSCH.
M DCC III.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [5] - -

PUBLIC DOMAIN

OMNIBUS.
BONIS.
SACRUM.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

§. 1.



IN rebus a communi hominum ſenſu paulisper remotis, & quarum veritas ex obvia cuique experientia non ſtatim percipitur, dubium ſemper & in utramque partem anceps vulgi juxta Doctorumque conſuevit eſſe Judicium. Prout enim quisque Ingenii acumine, judicandi prudentia, proprio rerum uſu præſtitit, & liber a præjudicatis perſuaſionibus, tum etiam levitate rejiciendi quæcunque, ſtultæ credulitatis prætextu, aut ſecus animo compoſitus fuit, vel rectum de re non omnium conſpectui expoſita formavit Judicium, vel omnia temere approbavit, vel præcipiti lapſu tanquam cum errore conjuncta, & ex Plebis ſtupore profecta, univerſim damnavit. Nullum fortaſſis unquam evidentius in ejuſmodi Argumento exemplum extitit, quam Doctrina de Exiſtentia Spectrorum. De qua tam variæ ſunt hominum ſententiæ, noſtro inprimis tempore, aliis hoc, aliis iſtud ſtatuentibus, ut, quid tuto amplectendum, quidve rejiciendum ſit, ne Veritati vis inferatur, non minus hodie quam olim diſceptetur. Quam in rem §. fin. hujus ſchediaſmatis longo ordine diverſas diverſorum Autorum ſententias de ſpectris dæmonumque operationibus commemorabit.

Difficile eſt, de rebus abditis, qualis eſt exiſtentia ſpectrorum, judicare.

§. 2. Non inutilem proinde Operam nos impendiſſe exiſtimabimus, ſi quid circa Spectrorum doctrinam ſtatuendum, ac inde juſtum ſit recto rationis ductu, a nobis explicetur, ne in dubium vocemus ea, quæ negari nequeunt, vel amplectamur ejusmodi opiniones, quibus ratio & ſanus ſenſus contradicunt. Fruſtra vero de rei effectu aut operationibus diſputabitur, niſi rem exiſtere, prius doceatur. Contra ſi Veritas, quantum fieri poteſt, ſolide demonſtretur, falſo de hac concepta opinio Hominum facilius emendabitur.

Utiliter tamen de illis diſputatur.

§. 3. Ut recto juſtoque ordine procedamus in propoſita quæſtio ne

Quæſtio,

quid res sit? quæstioni, an sit? præmittenda esse.

ne de Spectris, definiemus primum, quid intelligatur per Spectra, & deinceps probabimus Spectrorum Existentiam. Apud alios, & quidem veteres Philosophos, solet quæstio, quid res sit? quæstioni, an sit? postponi. Verum Recentiores recte ostenderunt, quæri plane non posse, an res existat, nisi prius aliquo modo constet, quid sit, de quo quæratur, alioquin enim de re prorsus ignota absurde interrogaretur.

Definitio spectrorum.

§. 4. Intelligimus igitur per *Spectra, Apparitiones & Territiones Diaboli externas, quibus corpus, aut aliud quid in sensus incurrens sibi assumit, ut Homines, animalia, aut alias res quascunque infestet.*

Non disputamus cum Adæmonistis, sed cum negantibus operationes in corpus.

§. 5. Nihil opinor necesse esse hoc loco, ut Diabolum existere probemus. Nobis enim in præsenti non intercedit Disputatio cum Adæmonistis, qui nullum existere contendunt diabolum. Nam illos si impugnaremus, id demonstrare nostrarum foret partium. Verum adversa pars, quam mox producemus in aciem, partim largitur nobis, diabolum existere, partim ipsum etiam operari in improbis invisibiliter & intrinsece; sed negat, diabolum existentem assumere posse corpus, & proinde neque Spectra, externa sub specie apparentia, excitare posse. Hinc merito labori parcemus, forte tamen non ingratum fuerit cognitu, quod *Dn. Balduinus* de malis spiritibus naturæ Testimonio demonstrandis, *Cas. Consc. l. 3. c. 2. qu. 1. p. 571.* allegavit.

Spectrorum nomen vulgo in malam partem accipitur.

§ 6. Porro Spectrorum Nomen, in sensu celebriori ex Usu loquendi, semper fere apud scriptores in malam partem accipi solet, ut per illud notentur Operationes malorum dæmonum externæ. Nam si quando Spiritus bonus se alicui videndum exhibuit, id quod Adversarii non impugnant penitus, haud obtinet loquendi mos, ut denominatio Spectrorum usurpetur. Verum appellatur ejusmodi quid vulgo Visio aut Apparitio, scilicet Spiritus boni. Hoc bene jam ante nos observavit *Beckerus*, in mundo fascin. *l. 2. c. 32. §. 1. p. 226.* & *Cornel. Gemma de div. characterism. l. 1. p. 25.* Proinde facile intelligitur, quando in definitione §. 4. Spectra a nobis definiuntur, quod denominatio ista ex usu loquendi restringenda sit, ita, ut denotetur per illa Apparitio aut Operatio externa mali cujusdam Spiritus.

Si diabolus potest operari in corpus, & illud assumere, dantur spectra.

§. 7. Atque cum in definitione allegati §. 4 dictum sit, quod Spectra sint Apparitiones aut Operationes externæ, quibus corpus aut speciem aliquam Diabolus sibi assumit, ne quis de veritate definitionis dubitet, ostendendum nobis est, *quod Spiritus malus, aut diabolus, operari possit in materiam aut corpus.* Qua quæstione præjudiciali decisa, sponte conseque-

sequetur, quod diabolus possit assumere corpus, non quidem illud generando ex sua Essentia, nec creando seu producendo ex nihilo, sed condensando ex Elementis, aut animando, quia in illud operari potest, & quod idcirco Spectra dentur, uti infra utrumque demonstrabitur.

Cur excutienda sint argumenta Negantium operationes diaboli in corpus, & proinde spectra?

§. 8. Antequam autem ad firmandam sententiam nostram accedamus, necesse est, videamus, quibus argumentis a Viris Eruditis defensa & constabilita sit sententia negans. Quod si enim a doctissimis Hominibus nihil solidi afferri potuit, quo Operatio in corpus diabolo aut spiritui malo denegetur, profecto, licet nostram Thesin, quod tamen inferius faciemus, probare non possemus, probabilitatem saltem sententiæ affirmanti hoc ipso conciliabimus, quod omnibus ingenii nervis intentis, nullum argumentum inveniri potuerit, quo firmiter pars adversa niti queat. Suscipimus vero Tractationem hanc Veritatis & rei dignitatis causa, quod studium in nemine reprehendi jure, aut deteriorem in partem accipi debet. Quemadmodum enim, qui non accurate semper philosophatur, non statim Atheismi pernicioſi principia in publicum emittere dicendus est; sic qui in alterius sententia, gravioribus Argumentis permotus, aliquid desiderat, minime omnium malitioſi animi aut obtrectationis accusandus est, si quidem rationibus solidioribus veriora aut meliora docere conetur.

De Balth. Beckero, & quod Autor Disp. d. Crim. Mag. ipsum sequatur.

§. 9. Ut alios omittamus, nemo nostra ætate majori opera evertere allaboravit Operationes dæmonum sive Spirituum malorum in corpora animosque, quam *Balth. Beckerus*, cujus consequens erat, ut insimul Pacta diabolica, Magicas artes, Incantationes dæmoniacas & Spectra negaret. Vid. ipsius Liber die bezauberte Welt/ inprimis *L. 2. c 10. L. 2. c. 32. L. 3. c 2.* & qui Historiarum veritatem de Spectris & Operationibus diabolicis refutat *Liber 4. totus*. Antagonistæ ejus, charactere Batavo, bene multi cum Polemici, tum Historici recensentur *in Boeck Zaal* van Europe, Anno 1692. p. 34. 52. 103 123. 131. 156. qui ibidem videri possunt, & sunt præterea post *Melchiorem Leydeckerum*, *Petr. Poiretum*, *Jo. a Marck*, *B. Falckium*, *Joseph. Glanvill*, in vernacula *Pfeifferus*, *Wincklerus*, *Beerens*, *Goldsmid*, *Zobelius* aliique, qui hoc nomine quoque innotuerunt. In compendio autem argumenta negantium Operationes dæmonum in corpus proposuisse videtur *Autor Dissertationis de Crimine Magiæ*, sic, ut Disputatio hæc Operis Beckeriani de mundo fascinato, in præcipuo Instituto de Operatione diaboli in corpora, (quam si non iisdem, idem tamen significantibus verbis negat, & negare cogitur, quousque negat assumi a diabolo corpus posse, & pactum ab eo cum hominibus iniri, & quæ hujus

consequentia sunt, de Pactis &c. quasi Breviarium, quantum ad rem præsentem, dici mereatur. Nonnulla enim in ea tantum indicantur, quæ in nominato Beckeri Libro uberius & latissime deducuntur, v. g. quæ in prædicta *diss. §. 37. ad fin.* de Orig. Crim. Magiæ recensentur, si excipiantur nonnulla Historica, Philosophica, & quæ ortum Processus cum Magis in Judiciis explicant, integro *Libr. I* conferendo *Libro IV. c. 24* a Beckero tractantur. De Spectro Endoreo, Samuelis personam referente, agitur *Libro III.* der bezauberten Welt *c. 6. §. 11. seqq.* de tentatione Christi apud Matthæum *Libr. II. c. 21.* de prohibitione Magiæ, quæ in disputatione per Veneficium durch Giftmischen explicatur, *Libr. III. c. 8. §. 2. seqq.* de Serpente in Paradiso, an diabolus fuerit? de quo alibi fit mentio a cit. Aut. *Libr. II. c. 20.* Cujus quidem laboris finis, cum eo pertinere videatur, ut Veritas a præjudicatis seculorum opinionibus & vulgi corruptelis in argumento magni momenti vindicetur, operæ pretium facturi videmur, si in soliditatem horum Argumentorum inquiramus.

Quod hujus excusatio intempestiva sit, & aliqua incommode ab ipso dicta.

§. 10. Præmittitur in thesibus Inauguralibus §. 1. Excusatio plus æquo modesta, quod *ob præjudicium Autoritatis, imbecillitatem ingenii, errorum occurrentium copiam, & temporis, quod elaborationi destinatum erat, brevitatem, nec applausus plurimorum expectari, neque dignum aliquid approbatione publica, vel assensu etiam paucorum veritatem sincere inquirentium proferri possit.* Nam si quando res solide demonstratur, Philosophi non est, suspicionem imperfectionis excitare Lectori excusatione, adeoque aut intempestiva est, aut talis, quæ defectum & diffidentiam arguit. Enimvero spes erat erudito Orbi, postquam semel Labori huic manus admoveri cœpta erat, quo tot innocentium hominum periculum arceri potest, ipso monente Autore statim initio disputationis, & toti generi humano interest, ut a stultissima superstitione liberetur, fore, ut exquisitissimo studio, licet breviter, omnia tractarentur. Alioquin metuendum erat, ne plus damni, quam emolumenti, tractatio superficiaria & imperfecta generi humano afferret. Tumultuaria enim & festinans opera in argumento tanti momenti efficit, ut nec pauci veritatis sincere amantes in re ex dimidio & imperfecte tantum, si cum solida veritate comparetur, pertractata acquiescere possint, etiamsi velint; pertinaces autem & præjudiciis occupati in errore inveterato confirmentur, ut putent, sententiam suam, licet falsam & absurdam, a nemine, ne doctissimo quidem, refutari solide posse, inprimis cum animadvertant, multa ibidem exprimi, quæ neque Theologi cordatiores, neque prudentiores Philosophi admittere solent,

v. g.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [10] - 4
PUBLIC DOMAIN

v. g. cum dicitur §. 2. Papiſmum totum eſſe fabulam ex Gentiliſmo & Judaiſmo conflatam. Nicodemus quidem *Friſchlinus* demonſtrare voluit, totum fere Papatum, cum omnibus ceremoniis ſuis ex Virgilio extitiſſe, in Orat. quæ Tubingæ eſt habita, de Præſtantia ac dignitate Æneid. *pag. 16.* Quantum autem memini, nunquam tam crude loqui amant veritatis cœleſtis gnari. Fatendum potius, in ipſo Papiſmo exiſtere, & extitiſſe nonnulla optima, & doctrinas illas, quas ex Papiſmo accepimus, non penitus fuiſſe apud Papiſtas falſas, ſed admixto fermento & erroribus valde corruptas & obſcuratas. Alioquin non emendandæ hæ doctrinæ, ſed penitus rejiciendæ fuiſſent a noſtræ Religionis Repurgatoribus. Quodſi ergo (ut Argumenti noſtri rationem habeamus,) Papiſmus abuſus eſt ad perniciem Innocentium & ſuæ utilitatis lucrum Proceſſu contra Magos & Lamias; incommode tamen dicitur, imo plane probari nequit, operationes diaboli in Papatu, & Magiam ibidem accuſatam, totam eſſe fabulam & pro nihilo habendam. Separandus enim eſt Uſus ab Abuſu, & Verum ab admixto Falſo.

Ejusdem inconſiderate dicta de cautione Criminali.

§. 11. Admiſcentur etiam in diſputatione multa, quæ neſcio, an Autori ipſimet probari queant. Leve illud eſt, quod §. 4. dicitur, Cautionem criminalem, ſive de Proceſſibus contra ſagas Librum, ante ſeptennium editam eſſe, niſi forte Editionem, ſi quæ eſt, recuſam, (à quo tamen ſignificatu vox edita differt,) indigitare vult. Liber enim iſte, uti noſtra habet Editio, jam altera vice, Anno 1632. Francof. ſumtibus Joh. Gronæi in 8vo prodiit, quod ipſum in præfatione collectionis unterſchiedener Schrifften von Unfug des Hexen-proceſs, Autorem, ſimulque Diſputationis de crimine Magiæ, latere videtur. Meminit enim Gronæus in præf. huic ſecundæ Editioni præfixa, primam Editionem, Nundinis antecedentibus, præhabita Approbatione Fac. Jur. Rintelenſis, ab Academico Typographo Petro Lucio eſſe vulgatam, & exemplaria primæ Editionis adeo ſubito intra paucos menſes diſtracta eſſe, ut nullum amplius haberi potuerit quantocunque pretio. Nec illud urgebimus magnopere, ipſum hunc Cautionis Criminalis Autorem, licet plurima tradat, quæ circumſpectam curam in Proceſſibus contra ſagas magiſtratibus ſuadent, quod faciendum eſſe nemo pius aut prudens negabit; dubio tamen VI p. 12 afferre rationes, quibus probet, bene facere Principes Germaniæ, cum in crimen ſagarum procedant, & dubio XII p. 58 probare iterum, non opus eſſe, ut ab Inquiſitione contra ſagas ceſſandum ſit, ſi Proceſſus caute & circumſpecte juxta præſcriptum Legis & prudentes rationes inſtituatur. Ut

proinde valde dubitari possit, an Liber hic laudem, *quæ §. 4. in f.* ab Aut. Disp. de Crim. Mag. ipsi tribuitur, mereatur, quod scilicet sic omne tulerit punctum, ut nemo amplius de iniquitate Processus contra sagas dubitare, & nemo ipsum absque insigni & eminenti honoris sui læsione refutare possit. Dissentire enim hic Auctor ab ipso Dissertationis Celeberrimo Præside, & refutari à se videtur, utpote qui suadet, nullum processum contra sagas esse instituendum, in §. 56, qui ultimus est dissertationis de Crimine Magiæ, contra quos facit Autor Cautionis Criminalis, d. dub. VI. XII Resp. 1 j. § 24 Sched. præs.

Idem falso dicit, Beckerum negare existentiam Diaboli.

§. 12. Sed graviora sunt, & quæ Lectorem magis offendere aut diffidentem reddere possunt, uti, quod §. *8.* dicitur, Beckerus diabolum negat, & *§ 3. & 6.* Beckerus prope ipsam Diaboli substantiam aperte negavit, *§. 6.* Beckerus diabolum, aut certe ejus Efficaciam ullam in Homines negavit. Et hanc ob rationem conceditur *§ 6*, quod Beckerus, & qui cum ipso faciunt, recte Adæmonistæ, male autem & per injuriam Atheistæ dicendi sint. Imo vero utrumque cum injuria conjunctum est. Nostra quidem nihil refert, istos homines defendi, si tamen dicendum id, quod res est, vel leviter titulos capitum Libri Beckeriani inspicienti patere potest, admittere Beckerum diabolum, & quod secundum substantiam suam existat. Atque habet Lector fortasse, quod miretur nonnihil, ab Auctore disputationis, qui hoc officium veritati & Beckero præstare debuisset, id factum non fuisse. Nam Beckerus, mundi fascinati *Libr.* 2 expresse probat, Scripturam diserte testari de existentia spirituum; Titulus *c. 8. Libr. 2.* hic est: Was die Schrifft betrifft / die giebet uns von der Art und dem Ursprung der Engel nicht viel Nachricht. Capitis autem IX. lemma est: Von dem Herkommen und Zustande der bösen Geister giebet sie wenigen und dennoch deutlichen Bericht. Et §. 1. post adducta Testimonia lapsorum Angelorum dicit: Mit diesen zweyen Zeugnissen des HErrn JEsu selbst/und seines liebsten Apostels/die klar und deutlich reden/daß der Teuffel von dem Stande/darinnen er von GOtt geschaffen war/abgefallen sey/ gebühret uns zu frieden zu seyn / ob auch schon nichts darbey kommet. Allein es giebet der HErr noch von dieser Seiten zu erkennen/daß eine Menge der Engel/ mit diesem einem/ den er den Teuffel nennet / gefallen sey ꝛc. Libro autem *II. c. 20. §. 26.* ubi de lapsu parentum disquirit, ait: Gewiß ist der Fall derer Menschen von dem Teuffel/ungewiß/ wie der Teuffel den zu wege gebracht. Non est cur plura loca cumulemus, quod Beckerus diabolorum existentiam non neget, quoniam præter loca citata hoc cuique ex mediocri Libri inspectione facile constare potest. §. 13.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [12] - 6
PUBLIC DOMAIN

§. 13. Ex hoc autem, quod Inauguralis dissertationis Autor sibi falso persuasit, Beckerum negare existentiam diabolorum, duo incommoda observare licet in sæpe commemorata disputatione. *Primo*, quod non accurate potuerit dissensum suum à Beckero explicare, aut illum perperam, & ex parte tantum, dum voluit explicare, expresserit. *Secundo*, quod statum Controversiæ itidem intricate admodum evolvat, nec satis dilucide proponere possit. *Prius* patet, nam α) dicit Autor differt. § *6 & 7.* se dissentire à Beckero, qui diabolum existere neget, hinc consequens quoque ipsius esse, ut pactum cum diabolo neget, quia non Entis (diaboli scil. non existentis) nulla sint prædicata, (scil. pactum.) Sed monstratum est §. præcedente, Beckerum admittere & ex Scriptura probare, dari diabolum, Ergo quoad existentiam diaboli nullus est dissensus inter Beckerum & ipsum. Hinc si quis colligi potest dissensus, totus is erit de pacto, quale sit, quomodo fiat &c. Sed talia pacta, uti Beckerus, dari negat, *Disp.* § *6*, & sic iterum nullus est dissensus. β) Si de operationibus diaboli in corpus est quæstio, eas negat Beckerus, & negat Auctor dissertationis. Nam si has concesserint, cogentur invicta consecutione ambo concedere, diabolum posse assumere corpus, uti supra est deductum. Itaque ne heic quidem dissensus inter ipsum & Beckerum deprehendi potest. Quodsi autem operationes diaboli in animam *solum* intelligit Vir Celeberrimus, & in eo dissentire à Beckero voluit, illud distinctius proponendum erat, dum status controversiæ formabatur, quod tamen facere neglexit. In quo igitur dissentiunt? Hoc explicatum non est contra officium accurati disputatoris; Lector ergo in suspenso relinquitur, in quo solum & præcipue dissentiat a Beckero. *Posterius*, quod scilicet status controversiæ accurate non potuerit formari, manifestum est ex priori. Nam dum sibi falso persuasit Vir Celeberrimus, Beckerum negare existentiam diaboli, totam controversiam & rem, de qua quæritur, sic expresit § 6. *Arbitramur diabolum ab extra, intrinsece tamen & invisibiliter, operari in hominibus improbis, sed negamus, dari sagas & Magos pacta cum diabolo ineuntes, quin potius putamus, hanc fabulam ex Gentilismo & Papismo conflatam esse.* Hæc vero 1) obscura sunt, 2) sibi contradicunt, aut minimum non cohærent. 1) Obscura sunt, quia multo clarius voces: ab extra & intrinsece, debuissent exprimi, si sensum ipsis clariorem & qui ab omnibus facile capi potest, inesse oportet, fortasis hunc in modum: Diabolus, in ipsa quidem anima, aut intra cogitationes hominis, operatur suggestionibus spiritualibus, sed tanquam Ens, non ad essentiam animæ pertinens, verum

Unde dissensum a Beckero quoad existentiam Diaboli ejusque operationem in corpus liquido docere non potuit.

verum exterius accedens, attamen animæ se insinuans. 2) Sibi contradicunt, aut saltem non cohærent. Nam ad pactum nihil requiritur, quàm consensus plenus & deliberatus inter contrahentes sibi invicem notos super re in contractum deducta. Si ergo homo consentit in operationes diaboli venientis ab extra, ut stylo Auctoris utamur, & ipsum admittit intra se seu intrinsece, quod conceditur, eo ipso pactum tanquam cum amico sibi noto init. Quod enim homines ad pacta voce aut signis opus habent, illud fit, quia cogitata sua alias intelligere nequeunt. Quodsi illud fieri posset, quemadmodum cum spiritu, infinita pacta sine signis externis contraherentur, imo oculis & gestibus absque loquela non infrequenter etiam ab hominibus contrahuntur, inprimis ubi colloquendi non datur copia, ipsi autem consentientes, vel ex oculorum nutu, vel alio quodam indicio se intelligunt. Nec sequitur, uti Burignonia in loco infra citato collegit, maximam partem hominum hac ratione pacisscentem cum diabolo constitui. Namque ut pactum cum Diabolo initum rite cognoscatur, accurate distinguendæ sunt operationes & suggestiones Diaboli ab operationibus & suggestionibus carnis & passionum naturalium corruptarum. Qui in priores consentit scienter & deliberato, pactum init cum ipso, tanquam cum amico, non item qui posteriores exequitur. Plurimi tamen has operationes confundunt, ex quo consequitur penes multos, ut, quid certo statuendum sit, ambigant.

Pactum diabolicum male negatur, & utilius disputari poterat, an delictum pure spirituale corporaliter puniendum sit?

§. 14. Recte igitur dicimus, male statum controversiæ formatum fuisse. Nam si de operationibus diaboli sermo est, debebat clare exprimi, an de operationibus intrinsecis ille esset. Operationes autem intrinsecæ à Viro Celeberrimo, & à plerisque conceduntur. Hinc nulla de his est quæstio. Si de operationibus extrinsecis præcipue in corpus sermo est, tunc quidem dissensus est, sed hoc nihil ad rem & quæstionem facit, quoniam ad pacta cum diabolo ineunda extrinsecæ operationes, v. g. voces, gestus, sermo, figura &c. non sunt essentialiter necessariæ, quia spiritus diabolus, & spiritus anima lamiæ, se possunt intelligere, & conceptus & motus sibi invicem certos communicare, licet externa signa non accesserint; Ergo possunt inter se pacta Magi & Lamiæ cum Satana inire absque operationibus externis. Quocunque res vertatur, nihil solidi à Viro Celeberrimo pro excusandis aut defendendis Lamiis, aut evertendis pactis diabolicis cum ipsis, afferetur aut efficietur, quoniam anima cum spiritu malo pactum inire potest, licet diabolus non assumat corpus. Spiritus enim cum Spiritu, qualis est anima, agere mente aut cogitatione

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [14] - 8
PUBLIC DOMAIN

tione ſola poſſunt. Quod quidem ipſe ſtatuere videtur *Vir Celeberr. in diſſert. ad Poiret. §31.* eos nempe, qui ex Philoſophia Pythagorica aut Platonica ſpiritus credunt, pronos eſſe ad pacta cum diabolo ineunda, eademque iniiſſe. Cum vero in *diſſ. d. Crim. Mag.* negetur, Diabolum aſſumere poſſe corpus, & forma Monachi aut alterius comparere, evidens eſt, ipſum hujus Autorem ſtatuere quoque, pactum ſola mente & intra animum contrahi poſſe cum Diabolo. Quo etiam pertinere videtur, quod in *diſſ. d. Crim. Mag.* §. *12.* Crimen Magiæ definitur, quo quis cum diabolo, *ſæpe* in corporali ſpecie hominis, beſtiæ aut monſtri comparente pactum init. Adeoque ſignificatur per vocem ſæpe, quod etiam pactum cum diabolo forma externa non comparente iniri queat. Quæ cum adeo obſcure, ut leviter dicam, poſita ſint, arbitramur Viri Celeberrimi primarium inſtitutum fuiſſe, oſtendere, perplurimis hominibus in Proceſſu contra ſagas factam fuiſſe injuriam. In quo nullos habuiſſet repugnantes, & pie feciſſet, ſi in eo ſubſtitiſſet diſſertatio. Imo forte felicius ſucceſſiſſet, ſi quæſtio, quæ a Viro Celeberrimo *in diſſert. ad Poiretum §31.* obiter ſaltem tangitur, eſſet propoſita: an delictum pure ſpirituale in Deum, uti pactum cum diabolo, quo hominibus non nocetur, pœna corporali jure poſſit affici? adeoque, licet Magia & pacta diabolica concedantur, diſquiri ſatis tempeſtive & ſalubriter adhuc potuiſſet, an acri hoc remedio, Proceſſu ſcil. contra ſagas, extirpari hoc malum deberet? Quod cautio criminalis dubio *7. p. 14* non prorſus ſine ratione negat. Idem *Wierus l. 6 c. 24 p. 662.* contendit. Et huc quadraſſet ſatis appoſite Inſtantia, ex §*17. Diſſ. & Programmate Germanico*, de filia ſacerdotis ſcortante, quæ exurenda olim quidem erat, cum hodie rigor hic ceſſaverit. Si hoc modo ſtatus quæſtionis fuiſſet formatus, & clara eſſent omnia, & minori cum difficultate, majore etiam forte cum fructu, conjuncta. Jam vero magnæ ſe offerunt difficultates, quæ plurimorum etiam veritatem ſincere quærentium aſſenſum impediunt.

§. 15. Nam quod §. 7. dicitur, non eſſe poſſibile, ut aſſeclæ Philoſophiæ corpuſcularis & mechanicæ modo intelligant, quid ipſimet dicant, ſerio a Beckero diſſentire poſſint; ſe autem, qui Philoſophiam antiquiſſimam ſpiritualem ſequeretur, rem aliter comprehendere, illud maximis difficultatibus impeditum eſt, quod ſatis manifeſte apparet ex definitione iſtorum ſpirituum, quos Vir Celeberrimus in ſcripto quodam, quod nomen præ ſe fert Confeſſionis doctrinæ ſuæ, §. *174.* hunc in modum definit: *Spiritus iſte, nempe mundi, æque ac Spiritus reliquorum cor-*

Autor Diſſertationis difficilius, quam Carteſiani, Beckero ſatisfacere poteſt.

porum,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [15] - 9
PUBLIC DOMAIN

porum, immaterialis eſt, participat tamen de attractu materiæ, & gaudium ac dolorem ſentit, dependet intuitu operationum a mutationibus materiæ in corpore humano, adhæret quaſi aliis corporibus terrenis, nec ſine illis unionem ſuam cum corpore humano continuare poteſt. In Tractatu autem Germanico, qui Verſuch vom Weſen des Geiſtes inſcribitur, *c. 4. §. 56. p. 70.* hanc ſpiritus hujus definitionem proponit: Der Geiſt iſt eine Krafft/ das iſt/ ein Ding/ welches ohne Zuthun der Materie beſtehen kan/ in welchem alle materialiſche Dinge beweget werden/ und welches auch dieſen die Bewegung giebet/ ſie ausſpannet/ vereiniget/ zuſammendrücket/ anziehet/ von ſich ſtöſſet/ erleuchtet/ erwärmet/ kältet/ durchdringet/ und ihr die gehörige Geſtalt giebet; cui addi poteſt §. *26. p. 62. & c. 7. §. 14. p. 134.* & ſincerus veritatis indagator contra *Dn. Hoffmannum anth. 16. 23. & 24.* Jam vero ex hac definitione patet: 1) Spiritum hunc immaterialem operari in materiam. Atqui hoc eſt, quod Philoſophiæ corpuſcularis ſectatores & Carteſiani quærunt, quomodo id fieri, & Spiritus de attractu materiæ participare poſſit. In definitionibus allatis hujus rei nulla affertur cauſa aut probabilis ratio, quod tamen, quomodo ſcil. id fieri poſſit, explicare conantur Carteſiani. Quare ſi ab ipſis hoc non mutuetur, ſed negetur, negandum quoque erit, Spiritum hunc immaterialem operari poſſe in materiam; aut, ſi non negetur, (quod tamen neceſſarium eſſe dicit celeberrimus Autor, dum §. 7. ſuperius allegati mens eo tendit, poſſibile non eſſe, ut aſſeclæ Philoſophiæ Corpuſcularis & Mechanicæ ſerio a Beckeri principiis & concluſionibus diſſentiant, nullam aliam, uti videtur, ob cauſam, quam quod modum operationum Spiritus in materiam iſti aperire non valeant,) obſcuriſſima & incertiſſima cuncta, prout antea, manebunt, niſi in una voce Spiritus omnia explicata credere velimus, quod Philoſophorum nemo concedere poteſt. 2) Si Spiritus hic æque ac reliquorum corporum immaterialis eſt, gaudium & dolorem ſentit, ſequetur, omnibus corporibus, quibus hic Spiritus ineſt, ſenſum ineſſe, quod Campanella ſtatuit, & ſecundum *Buddæum* in Philoſophia inſtrumentali *c. 1. §. 14. p. 80.* in eorum partes tendit, qui animam mundi aſſeruerunt; vel etiam ſequetur, cognitionem & appetitum plantis & corporibus inanimatis concedendum eſſe, quod etiam ſtatuere videtur Vir celeberrimus, qui im Verſuch ꝛc. *c. 7. th. 26. p. 150.* non modo aëri tres animæ ſenſitivæ facultates, ſentire: loco moveri, deſiderare, tribuit, verum etiam *p. 152. d. 27. c. 7.* & in ſcripto contra Dn. Hoffmannum anth. 38. & 40. Spiritui mundi univerſali intellectum & voluntatem adſcribit. Sed contra hos Joh. Claubergius

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [16] - 10
PUBLIC DOMAIN

bergius *Op. Phil. p. 157.* disputat, & satis ostendit, ipsos, qui dicant, explicare non posse, & talibus involvi difficultatibus, unde se extricare nequeant. Nam 3) quomodo hi Spiritus quasi adhæreant aliis corporibus terrenis, & sine illis unionem suam cum corpore humano continuare non possint, intelligi nondum potest. Hoc enim si ita est, Spiritusque, qui dependent intuitu Operationum a mutationibus materiæ in corpore, uti definitio loquitur, dicendum potius esse videtur, istos Spiritus esse materiales. Quia nondum adhuc ostensum est, quod ens immateriale nobilius dependentiam consequatur a mutatione materiæ. Liquet autem e contrario, unam materiam ab altera dependere posse. Quod etiam monuit Eruditus Autor, licet in Programmate quodam Germanico non admodum magni habitus, in den kurtzen Anmerckungen über den Versuch vom Wesen des Geistes/ *p. 16. §. 36. c. 4.* Denique 4) ex eo, quod Vir Celeberrimus im Versuch ꝛc. *p. 78. §. 13. c. 5* statuit, pulsionem aut pressionem esse non posse, nisi extremitates unius rei extremitates alterius tangant, concludi potest, Spiritum aut operari non posse in materiam; aut, si operetur in eandem, ipsum esse materialem. Nam recte ex hac hypothesi colligitur hunc in modum: *Nulla pulsio aut pressio fieri potest, nisi duo extremitates sese mutuo attingant*; hæc Propositio est Viri Celeberrimi l. c. sed *Spiritus nullam habent extremitatem*, sunt enim immateriales; velle autem extremitates comminisci, ubi nulla est materia, tam absonum est, quam putare longitudinem & latitudinem, revera extra conceptum rationis existentem, esse posse sine crassitie aut profunditate. Quod licet Vir Celeberrimus statuere videatur im Versuch ꝛc. *c. 4. §. 17. 18. p. 97.* res tamen talis est, quam nemo comprehendere potest, nisi fingendo. Hinc ergo sequitur, quod *Spiritus isti nullam materiam premere, pellere aut movere possint.* Utraque præmissarum ex hypothesi Viri Celeberrimi desumta est, ac proinde, vi ipsius hypotheseos, Spiritus non operari poterunt in materiam, aut, si operentur & premant, aut propellant materiam, habebunt extremitates, adeoque erunt materiales, quod tamen non vult admittere. Accedit, quod *c. 7. §. 22. p. 137.* dicatur, Spiritus essentiam cognosci non posse, quia Spiritus sit invisibilis, & crassos sensus aut sensualitatem hominis sine materia immediate non tangat. In Germanico contextu legitur: Weil der Geist unsichtbar ist/und die grobe Sinnligkeit des Menschen ohne Materie unmittelbar nicht berühret ꝛc. Itaque Inter Spiritus hos immateriales intercedet adhuc materia, quæ, qualis sit, an sit, & utrum Spiritus immaterialis in eam operari possit, iterum quæretur? Ex quibus sua sponte pa-

tet, quam fluctuantes sint Philosophiæ Fluddio-Coménianæ, vel potius antiquissimæ spiritualis Mosaicæ, sectatorum opiniones, atque adeo non est, cur Cartesianis aliquid ex his opponant, qui præterea fortassis habent, quod Beckero neganti operationem cogitationum in materiam respondeant, prout infra alio modo videbimus. *Leg. Ant. le Grand in Inst. Phil. p. 3. art. 5. p. 137.* ed. Lond. 1675. *Lud. de la Force* de mente humana *c. 13. & 16. Clauberg.* in tr. de corporis & animæ conjunctione, in Op. ejus Phil. anno 1691. p. 209. Amstelodami editis extante, c. 9. 10. 20. 25. cujus titulus est, aliam esse conjunctionem non mutuam, quam mens divina & angelica, corpori nectatur. Annon vero Celeberr. Præses præterea quoque ex *Henr. Moro* multas de Spiritu doctrinas suas petierit, alii ex subsequentibus judicent. Scilicet laudatus modo *Morus, in Appendice antidoti adversus Atheismum, Op. T. II. c. 3. p. 150.* ait: Spiritum creatum definiri ab absolutis illis Potentiis se contrahendi, dilatandi, atque ab istis relativis facultatibus penetrandi, movendi, alterandi materiam. In Præf. generali *Tomi II. p. 8.* dicit: Spiritum naturæ, h. e. substantiam incorpoream, quæ se generalioribus mundi Phænomenis producendis intermiscet, credo me tam evidenter demonstrasse, ut nihil in universa Philosophia evidentius possit demonstrari. Definit autem Spiritum Naturæ *c. 12. de Immort. animæ, Op. Tom. 2. p. 430.* Spiritus Naturæ est substantia incorporea, sensus ac animadversionis expers, materiam universam totam persuadens, & vim plasticam in eam exercens, pro variis præparationibus occasionibusque partium earum, in quas agit, item ea excitans Phænomena in mundo, partes materiæ earumque motum dirigendo, quæ in potentias mechanicas solas resolvi nequeunt.

Hallucinatio ab eo in recensenda Godelmanni & Malebranchii sententia commissa?

§. 16. Quædam etiam de *Godelmanni* & *Malebranchii* sententia monenda sunt. Docetur *§. 6. disput. Godelmannum concedere pactum Magorum, negare autem pactum Lamiarum.* Conferenti vero cum attentione Godelmannum, hoc falsum esse deprehenditur. Duo enim agit Godelmannus: 1) ostendit differentiam pacti initi cum dæmone a *Lamiis*, & a *Magis*, idque tribus rationibus, *Libr. 2. c. 2. Prima* differentia legitur *§. 1. 2. 3. 4.* quia fœdus Magorum cum diabolo non est imaginarium, Lamiarum autem fœdus est præstigiosum. Magi ex proposito peccant, Lamiæ autem a diabolo decipiuntur, & vi aut metu compelluntur ad fœdus hoc præstigiosum. *Secunda* legitur *§. 14.* quia Magi cupide artem addiscunt, Lamiis autem diabolus sese insinuat, cui obediunt ob credulitatem, stuporem naturæ, melancholiam, paupertatem &c. *Tertia* legitur

§. 15.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [18] - 12
PUBLIC DOMAIN

§. *15.* quia Magi proprio ſanguine ſe obligant chirographo, de Lamiis autem nihil tale quid audiri docet. Ex quo liquet Godelmannum pactum diaboli etiam cum Lamiis concedere, ſed alio reſpectu, quam cum Magis. Et licet ille *l. 2. c. 2. §. 10. & 13.* neget conſenſum lamiarum, item quod cum ipſis & diabolo nullus ſit contractus; illud tamen ideo fecit, ut tanto facilius a pœna illas abſolveret,(quanquam dicendum, via & ratione ſic minus recta & ſolida,) & explicandum eſt de contractu & pacto, plena deliberatione ſine omni fraude & coactione inito. Alias enim ipſe ſibi contradiceret, utpote qui §. *4.* aſſerit, lamias vi & metu compelli, & errore ignorantiaque induci ad fœdus hoc præſtigioſum. Quomodo autem quis compelletur ad rem aut contractum ineundum, qui plane exiſtere nequit? 2) Confirmat Godelmannus, Lamias non eodem modo puniendas eſſe, quo Magos, nam inter alia *l. c. §. 15.* ad finem inquit ex Wiero *c. 24.* de Lamiis: Si Deus agnoſcit & recipit animam, cur tu, Prætor, usque adeo inclementer agis, cum nulli injuriam fecerint, ut corpus repudies, maxime, cum in tuo non deliquerint foro, & tibi nullum in divino judicio relinquatur tribunal? Mox §. *16.* adducit exemplum Studioſi, qui paupertate preſſus ſe Diabolo addixerat, ſed liberabatur a Luthero aliisque non pœna corporali, ſed precibus. Igitur ſi Lamias abſolvit a pœna Godelmannus, quod in alio foro deliquerint, & Deus culpam remiſerit, ſtatuere omnino ipſum oportuit antegreſſum fœdus Lamiarum, quod tamen non hoc, ſed alio modo, puniendum aut emendandum erat. Paria fere circa ſententiam *Franciſci Malebranchii* accurate intelligendam annotanda ſunt; de quo hæc nobis tradit Autor diſputationis *de Crim. Magiæ §. 3. p. 8. Ex ipſis ſcriptoribus Pontificiis modernis Malebranchius l. 2. c. ult. de inquirenda veritate, in ſententiam eorum, qui imaginationi hiſtorias Magicas adſcribunt, inclinat.* Sed etiam heic in recenſione hujus ſententiæ nonnulla deſiderari poſſunt, alias Lectori falſum de Malebranchii traditis circa Magiam ingeretur judicium. Nam accurate loquendo de Malebranchio, dici nequit, ipſum inclinare in eorum ſententiam, qui hiſtorias Magicas imaginationi adſcribunt, ſed expreſſe potius & diſertis rationibus probat *cap. cit. ult. quod ſextum eſt libr. 2.* aliquam tantum Magiæ ſpeciem imaginationi adſcribendam eſſe, modumque explicat, quomodo imaginatio in hoc negotio operetur, quod lectu certe dignum eſt. Hinc falſum eſt, *Malebranchium*, uti verba abſolute poſita Lectorem docere videntur, omnes hiſtorias Magicas imaginationi adſcribere. Nam duplicem conſtituit Magiam, unam, ubi quis verè

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [19] - 13
PUBLIC DOMAIN

Magus eſt, & hunc puniendum eſſe dicit; alteram, quæ ex imaginatione & phantaſia ſtultorum hominum, uti Lycanthropia, congregatio in Sabbatho, &c. oritur. Et hos innocentiſſimos eſſe pronunciat, rectèque facere dicit Judices, quod multis in Gallia locis nullas in ſagas ſtatuant pœnas, ne innocentiæ & hominibus, qui commiſerationem merebantur, vis & injuria inferatur. Ne quis de mente Malebranchii dubitet, adſcribemus unam tantum periodum ex cit. libr. qui Gallice inſcribitur: Recherche de la Verité &c. *quæ ex 6. cap. Libr. 2.* Latine à nobis verſa ſic habet, & p. 284. 285. noſtræ Editionis Amſtel. qua utimur, extat: *Si ceſſatio fieret puniendi ſagas, & ſi fatuorum loco haberentur, tempus doceret, quod nullæ amplius ſagæ inveniri poſſent, quoniam ſagæ, (ſorciers) quæ tales non ſunt, niſi ex propria imaginatione, & quæ profectò maximum numerum conſtituunt, liberarentur ab errore ſuo, (nimirum imaginationis falſæ,) dubitari nequit, veras ſagas (ſorciers) morte dignas eſſe, & quæ tales non ſunt, niſi per imaginationem pro innocentiſſimis* (tout à fait innocens) *habendas eſſe. Quoniam ordinarie ſibi non perſuadent, ſe eſſe ſagas, quam quod certa diſpoſitio cordis ipſis adeſt, quod ad Sabbathum proficiſcantur, & quod ſe guttulis inungant, ut intentionis ſuæ malignæ compotes fiant. Cum vero ſine diſcrimine puniantur incuſatæ, fit, ut communis perſuaſio ſe roboret, ſagæ per imaginationem multiplicentur, adeoque infinita hominum multitudo perdatur & damnetur. Quare non ſine ratione plurima Parlamenta plane nullas puniunt ſagas, & hoc ipſo multo pauciores in ipſorum diſtrictu, ubi judicium exercent, inveniuntur, & invidia, odium & malitia improborum non habet, ut prætextu uti poſſit ad perdendos innocentes.* De *Wiero* etiam doceri a nobis poterat, quousque lamiis nullum cum diabolo fœdus intercedere putaverit, & quatenus illud conceſſerit? Sed quoniam nimis digreſſi ſumus a propoſito principe, inſtitutum noſtrum poſtulat, ut argumenta nobis oppoſita excutiamus, & deinceps ſententiam affirmantem noſtram demonſtremus. Quod priusquam faciamus, *ad §. 42. diſſ. de Crim. Mag.* ſupplementi loco id unicum ſaltem notamus, quod ſc. Conſtantini conſtitutio in *l. 4. C. de malef.* minus excuſari poſſit, illud quoque eſſe indicio, cum ejus argumentum non tantum Chriſtianis, ſed & paganis nonnullis diſplicuerit. Apud Marcianum enim legimus, jam olim ſub Alexandro Severo damnatos fuiſſe, qui remedia tertianis quartanisve collo annexa geſtarunt. Idem de Conſtantio tradit Marcellinus *libr. 19.* Chriſtianis vero damnantur generaliter amuleta φυλακτήρια omnia, in Synodi Laodicenæ *c. 36. Leon. Nov. 65.* & c. magni lege *lib. 6 c. 72.*

Neque

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [20] - 14
PUBLIC DOMAIN

Neque deſunt, qui *l. ult. ff. de extraord. crim.* circulatorum verbo ejuſmodi quoque ſuperſtitioſos indicari putent. Eodem pertinet *l. 1. §.* medicos u. de extraord. cogn. ubi exorciſtas & incantatores medicos eſſe, Ulpianus negat.

§. 17. Erit igitur quæſtio inter nos: *an diabolus operari in materiam & aſſumere corpus poſſit?* Ex quo poſtmodum invicta conſecutione deducetur, quod *Spectris terrere homines, & pacta viſibili forma cum Magis aut Lamiis contrahere,* ceterasque omnes operationes, quæ in corpore aut materia, ita, ut in ſenſus incurrant, perficiuntur, peragere queat, quæ proinde hoc loco expreſſis nominibus delineare neceſſe non eſt. Cum enim hæc omnia, uti inferius deducetur, inter ſe cohæreant, uno conceſſo aut negato, concedetur vel negabitur quoque alterum. In Diſputatione autem de Crim. Mag. negatur, diabolum aſſumere poſſe corpus, & in Program. Germ. quod diabolus viſibili forma comparere, ungulas aut ungues oſtentare, aut chirographum exigere ſimiliaque poſſit. Hoc vero, aliis verbis expreſſum, idem notat, quam quod diabolus in corpus, ungues aut ungulas (quæ certe materia ſunt,) ſimiliaque corporea aut materialia operari non poſſit, uti infra latius patebit.

Status Controverſiæ, an Diabolus operari poſſit in materiam, corpus aſſumere, pacta inire &c. poſſit?

§. 18. In citata *diſp. §. 31. ſeqq.* quinque exhibentur argumenta pro negativa, quæ pariter obſervare licet in citato *Beckeri* libro: v. g. *primum* argumentum deſumtum eſt ex *libr. 2. c. 7.* inprimis *§. 13.* & *libr. 3. c. 2. Secundum* argumentum petitur ex *libr. 2. c. 32. §. 4. Tertium* extat *libr. 4. c. 2. §. 12.* collato *libr. 2. c. 34. §. 17. Quartum* deducitur in *libr. 2. c. 34.* & *Quintum* in *libr. 3. c. 3. §. 12. & 14.* Ut proinde ſi adimantur diſputationi ea, quibus Carpzovius oppugnatur, & nonnulla hiſtorica, parum novi, quoad rei hujus eſſentialia & caput, occurrat. *Conf. §. 5.* ipſius *diſput. de crim. Mag.* ubi habetur: ipſimet fatemur, potuiſſe noſmet ea abſtinere &c. Carpzovii vero mentionem etiam ipſe fecit Beckerus *libr. 3. c. 3. §. 3.* & hinc forte occaſio data eſt Autori Diſp. Carpzovium ex inſtituto oppugnandi. Ne autem quis exiſtimet, mutaſſe Celeberrimum ejus Præſidem ſententiam in Progr. Germ. quod hoc titulo prodiit: Erinnerung wegen der Winter-Lectionen/ſo nach Michaelis dieſes 1702 Jahres ihren Anfang nehmen werden ꝛc. ſic mentem ſuam ab aliquibus perperam intellectam explicat, ut §. 2. profiteatur, ſe concedere, quod diabolus operetur in improbis, quod ſagæ, veneficæ, præſtigiatrices, ſimilesque dentur, & quod Jure plectantur, qui ejuſmodi artes in perniciem aliorum exerceant; negat autem n. 10. 11. 12. neque ullo modo ſe credere poſſe dicit, quod

Quinque argumenta pro Negativa ex Beckero deſumpta, & de mente Auctoris Diſp. Hallenſ.

1) dia-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [21] - 15
PUBLIC DOMAIN

1) diabolus ungulas, cornua, aut hamatos ungues induat, quod Phariſæi, monachi aut monſtri forma, vel quomodocunque alias pingi ſolet, appareat, 2) quod corpus aſſumere, atque hac vel alia ſpecie ſe hominibus conſpicuum exhibere poſſit, 3) quod pacta cum homine ineat, chirographum ab ipſis exigat, cum ipſis commiſceatur, & quæ ſunt cætera.

Refutatur argumentum primum.

§. 19. Argumentum pro hac ſua ſententia primum hoc affert: *diabolus nunquam aſſumſit, nec poteſt aſſumere corpus, ergo non poteſt fœdera corporaliter inire, nec unquam corporaliter iniit, multo minus incubuit, ſuccubuit Magis, ſagis, aut eos ſub ſpecie hircina in montem Bructerorum duxit, &c.* Reſp. 1) Si diabolus poteſt operari in corpus, (id quod in confirmatione affirmantis ſententiæ infra §. *25. ſeqq.* demonſtrabitur) evidens eſt, quod poſſit per iſtud temporis ſpatium aſſumere corpus, quoniam aſſumere corpus nihil aliud eſt, quam operationem in materia aut corpore perficere. Notandum autem eſt, 2) quod diabolum poſſe aſſumere corpus duplicem habeat ſenſum. *Aut* enim τὸ aſſumere corpus ſignificat corpus carne & oſſibus conſtans generare ex ſua eſſentia, aut creare ex nihilo, & per illud operationes edere ; *vel* τὸ aſſumere corpus ſignificat, non quidem corpus carne & oſſibus conſtans generare aut producere, ſed corpus aliquod jam exiſtens animare, & per illud operationes edere, aut, ſi forte corpus ad operationem idoneum non exiſtat, *ſpeciem aut formam corporis* conflare, aut naturali induſtria, v. g. aëre aut elementis reliquis corpus condenſare, & per illud actiones aliquas edere, aut etiam phantaſma, vel figuram corporis homini objicere, quod licet in ſe non craſſum corpus ſit, illi tamen, cui objicitur, reale quippiam præſtat, ſaltim in ipſius oculis aut phantaſia, & ad ejuſmodi phantaſma exhibendum reale quiddam, uti congregatio luminis, aëris certa diſpoſitio, quæ condenſationis, rarefactionis aut ſimilis cujusdam operationis ſpecies eſt, requiritur. *Priori modo* concedi poteſt, diabolum non poſſe aſſumere corpus ; ſed *poſteriori modo* omnino poteſt, quod probatur, quia diabolo conceditur intelligentia & ſingularis rerum naturalium atque phyſicarum ſcientia. Equidem *Beckerus in mundo faſcinato l. 2. c. 32. §. 2. p. 235. ſeq.* negat, quod diabolus ſit Phyſices, Philologiæ aut Theologiæ peritus, & quidem hanc ob cauſam, quod nullos habeat ſenſus, quibus omnia hæc percipere ex natura, aut in Scriptura legere poſſet. Sed ad hæc jamtum ſatis ipſi reſponſum eſſe putamus a *Petro Poireto*, in fine *methodi veræ inveniendi verum, Part. 3. §. 24.* Nos tantum hoc loco in gratiam eorum, qui diabolum operari in improbis concedunt, atque adeo præ-

præſentem eum in his terris ſtatuunt, adjicimus, diabolum pollere inſigni rerum ſcientia ex duplici ratione: 1) enim conceditur, ante lapſum diabolum æque ac bonos angelos reliquos inſtructum fuiſſe ſcientiis & cognitione rerum; hæc cognitio per ipſius naturalem intellectum percipiebatur, quam intelligendi potentiam naturalem per lapſum amittere non potuit, haut aliter, uti homo aula regia ejectus intellectum, & mente ideas antea viſas aut uſurpatas retinet. Quodſi enim intelligendi vim naturalem amiſiſſet, ex ſpiritu, ſive Ente intellectu & voluntate prædito, factus fuiſſet intellectu & voluntate deſtitutus, ſive res inanimata, quod nemo, uti exiſtimamus, affirmabit. Si ergo 2) Ens hoc intelligens intelligendi vim naturæ ſuæ propriam retinuit, negari non poteſt, ipſum infinita adhuc experientia ex converſatione cum hominibus addiſcere potuiſſe. Ponamus enim hominem etiam ſtupidiſſimum, ratione tamen naturali præditum, qui alterius mores, vitæ genus aut animi habitum quotidie, idque per longum temporis ſpatium, obſervat, annon in eo animadvertemus, ipſum proficere ex ſolo hoc rerum uſu, & mores hominis, quo cum ipſi frequens negotium eſt, exacte perſpectos habere. Quæ cum evidentia ſint, quo fundamento ſolido diabolum tot mille annorum experientia edoctum, & qui tam aſſidue res geſtas, hominumque Phyſicorum, Philoſophorum, & qui ſunt reliqui, operationes & inclinationes obſervavit, ad quas in malam partem flectendas, vel ex Adverſantium conceſſis, aſtute iis ſe inſinuat, ſcientia & intelligendi res ipſas Phyſicas, Philoſophicas, atque cæteras facultate, licet illa perverſe utatur, deſtitui affirmari poterit? Ridicula propemodum eſt *Beckeri* ratio, quod diabolus rerum omnium ſit ignarus, quia nec videre, nec audire quicquam per ſenſus, uti Salomon, & nec legere, nec ſcribere poſſit. Quaſi vero nulla daretur perceptio in Spiritu niſi per ſenſus corporeos, aut quaſi ipſa mens hominis non multa ratiocinando colligeret, aut ſciret, quæ tamen nunquam vidit aut audivit? de cujus tamen exiſtentia vel ipſe Beckerus non dubitat. Si hic ſolas Ideas Carteſianas aut Platonicas innatas tantopere defenſas ſemel memoria tantum repetiiſſet, nunquam forte iſthoc infirmo argumento ad negandam diaboli ſcientiam permotus fuiſſet. Legere autem & ſcribere, vel linguarum peritia neminem reddit rerum ipſarum peritum, quod ex Infantum & Idiotarum, linguam ſuam loquentium, legentium, quandoque etiam ſcribentium exemplo conſtat, ſed eſt tantum vehiculum, quo inter initia communicantur conceptus perſonis corpore utentibus, quo vehiculo carere poſſunt, qui acutiori intelligendi vi ſine ſignis externis

Ideas rerum intelligere poſſunt, quod certe ſpiritus ſeparati facere queunt, uti de Deo & Angelis bonis manifeſtum eſt, qui tamen nec videre, nec audire per ſenſus, nec manibus ſcribere, nec oculis corporeis legere, uti Salomon, ordinarie poſſunt. Quodſi tandem etiam exercitii gratia concederetur, Diabolum poſt lapſum nullis per ſe inſtructum eſſe viribus ad movenda & condenſanda corpora, vel ad operandum in ipſis, illud tamen, cum iſta potentia Deo, eoque permittente, Angelis potentia adhuc ante lapſum iis concreata gaudentibus ab Adverſantibus concedatur, negari omnino non poterit, ipſum Deum ad puniendam improbitatem hominum, aut ad emendandos ſuos, quibus bene vult, concedere aut conferre poſſe ejuſmodi potentiam Diabolo, per quam ad modicum temporis intervallum virtutem & efficaciam operandi in corpora hominum acciperet. Quo enim argumento vel minimam probabilitatis ſpeciem habente quisquam contra nos probabit, Deum omnino atque penitus decreviſſe, quod diaboli opera uti nolit ad expedienda mandata ſua, quemadmodum Magiſtratus lictore utitur, ipſique poteſtatem concedit, affligendi pœnam meritum delinquentem. Nec metuendum eſt, diaboli vim aut Imperium inde nimis amplificari aut ipſum hoc miniſterio poſt lapſum plus æquo beatum effici, quoniam divinæ permiſſionis mandata excedere prorſus prohibetur, & ipſa pœnarum executio ipſum ne hilo quidem Deo gratiorem reddit. Quibus præſtructis, vel ſua ſponte conſequitur, vi hujus ſcientiæ non eſſe abſurdum, quod diabolus tanquam Spiritus corpus aliquod jamtum exiſtens animare, aut etiam ex elementis tale quid poſſit ad tempus conflare aut efformare, & per hoc operationes ſuas edere; quoniam corporis naturalis compoſitio juſtam tantum elementorum condenſationem & temperationem, poſteaque vis alicujus majoris aut Spiritus regimen vel internum vel externum requirit, quale quid ſcientia naturali, uti in Spiritibus eſt, effici poſſe, nullo argumento idoneo, probabilitatis ſpeciem ſaltem habente, negari poteſt; inprimis cum tot naturæ miracula a rerum naturalium & phyſicarum peritis edita ſint. Quorum etſi quædam fidem excedere videntur, quædam, ut fit in pollicitatione arcanorum, nonnunquam mente potius concepta, quam editis rerum documentis demonſtrata ſunt; tamen tot ac tanta inveniuntur, quæ ſine admiratione conſpici non queunt, & quæ, niſi oculis uſurparit, ſibi perſuadeat nemo. Aſſentientur mihi rerum in Naturæ Receſſibus abſtruſarum periti, neque ipſe repugnabit Diſſertationis ſæpius commemoratæ Celeberr. Præſes, quem audio multis, & quod in JCto non parum mireris, egregiis, & ipſis Scientiæ

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [24] - 18
PUBLIC DOMAIN

tiæ hujus Magistris non leviter laudatis rerum curiosarum experimentis non vulgarem cupidæ Legum Juventutis applausum sibi excitare. Adjiciemus vero hanc in rem nonnulla alia. Cornelius *van Drebbel*, Alckmarienſis, insignis Mathematicus & Opticus, ad Amicum suum Isebrandum a Rietroyck teste *Godefrido Hegenicio Itiner. Friſ. Holl. p. 75.* scribit: Ego in Camera manifeste sedeo solus, nemine mihi adsistente, & primo vestitum meum transformo in præsentia & adspectu omnium, qui in cubiculo sunt, nunc induor totus nigro holoserico, & momenti spatio, imo tam confestim, quam aliquis cognitione assequi possit, holoserico viridi ac rubro amictus sum, in colores mundi omnes me transmutans, nec solum hoc, sed commuto meam vestem cum qualibet specie pannorum, qua ipsemet volo, nunc bombycina s. serica colorum omnium, tum ex villis texta omnium colorum, nunc argentea, nunc auro variegatis vestibus utor, nunc regio ornatu & adamante, atque omni gemmarum specie sum splendidus, atque in momento postea mendici habitum assumo, pannis obsitus ac deformis, cum in illo actu unicam tantum vestem habeam, quam abs me non depono. De mirando phænomeno, repentina scil. luminis cujusdam in cavitate recipientis apparitione & incerto ejus successu lectu sane digna habet honoratissimus, ut audit *Robert. Boyle*, Nobilis Anglus, e Societate Regia, in *Nov. Experim. Phyſ. Mechan.* de vi aëris elastica & ejusdem effectibus, *experiment. 37. p. m. 116. edit. Genev. Kircherus* in Phonurgia, quæ in German. lingv. conversa est p. 119. habet Artificium, daß man ein Bild verfertigen könne in freyer Lufft hangend/ so da natürliche Stimmen und Thon/als auch Gespräche und Worte von sich hören lasse ꝛc. In Explicatione addit, imaginem hanc nulla re v. g. rotulis, funiculis, aut simili modo suspensam teneri, sed libere in aëre pendere, sonosque edere, & *p. 116. decasm. 3.* quo ponit: Aus natürlicher geheimer Kunst ein Bild machen/ welches allerhand Thon/ Stimme und Wörter rede und ausspreche ꝛc. quomodo montes, colles, valles, rupes, plantæ, flores, flumina, aliaque, quæ integram aliquam regionem præ se ferunt, repente intra vitream phialam enata exhiberi possint, ostendit *Jacobus Dobrcensky* in Phil. de font. & cum eo *Casp. Schott. Phyſ. Cur. Append. ad libr. 6. c. 9. §. 7. & 9. p. 1351. Morhof. in Polyhist. libr. 1. c. 2. p. 100.* agit de P. Constantii Albini Villanovensis Magia Astrologica s. Clavi Sympathiæ septem metallorum, & septem selectorum Lapidum, ad Planetas, pro majori illius dilucidatione edita anno 1611. in 8. in qua omni auro præstantiora contineri refert. Inter alia unum, quod librum legenti succurrit, recensetur; nimirum, legisse

ſe in illo libro de Vitro e cineribus cadaverum ſtrangulatorum certique mineralis conflando, cui lotium ægri immiſſum, affectas corporis partes in ipſa urina oſtendat. Meminit *Wagenſeilius* in Exerc. ſuis MSCti alicujus Paracelſi, quod ipſi in Bibliotheca Scorialenſi monſtrarit Bibliothecarius, unde ille arcanum Steganographicum e ſanguine humano deſcripſit, cujus ope amici toto orbe ſejuncti omnia animi ſenſa plene planeque invicem communicare poſſunt. Inprimis vero huc facit locus ex *Corn. Henr. Agrippa de Occult. Phil. l. 2. c. 36.* cujus titulus eſt de Unione rerum commixtarum, atque introductione nobilioris formæ, vitæque ſenſibus p. 51. Cui addi meretur *Paracelſus Opp. quæ Argent. 1616.* per Joh. Huſerum Brisgojum prodierunt *p. 882. n. 1. libr 1.* de generatione rerum. Niſi prolixum foret, adſcribi mereretur *cap. 37. libr. 2.* ſuperius nominati Agrippæ, at pauca ſaltem ex eo notabimus. Certis materiis quibusdam naturalem vim divinitatis habentibus, h. e. quæ naturaliter ſuperis conſentaneæ ſunt, rite collectis, partim Phyſice, partim Aſtronomice undique opportune conflatis, dona non ſolum cœleſtia & vitalia, verum etiam intellectualia, quædam dæmoniaca & divina deſuper ſuſcipi poſſe, Jamblichus, Proclus atque Sineſius cum tota Platonicorum ſchola confirmant. Et Mercurius Trismegiſtus ſcribit, ex propriis certisque rebus certo cuidam dæmoni congruentibus compoſitam rite ſtatuam confeſtim per dæmonem congruum animari. Cujus etiam meminit *Auguſtinus de Civ. Dei, l. 8.* Pergit Agrippa *p. 54. loc. cit. Plinius* eſſe herbas, ſcribit, quibus mortui revocentur ad vitam, unde Xanthus Hiſtoricus narrat, herba quadam, nomine Bali, occiſum draconis catulum vitæ reſtitutum a parente, eademque Thilonem quendam, quem draco occiderat, reſuſcitatum. Et Juba refert, in Arabia herba quadam hominem revocatum ad vitam. Verum addit Agrippa, an poſſint talia revera fieri vi herbarum vel cujusvis alterius rei naturalis in homine, in ſeqq. diſſeremus; poſſe autem fieri in ceteris animalibus, certum & manifeſtum eſt. Sic muſcæ ſubmerſæ, ſi ponantur in cineribus tepidis, reviviſcunt, & apes ſubmerſæ ſimiliter vitam recipiunt in ſucco Nepetæ, & anguillæ defectu aquæ mortuæ ſi corpore integro exiſtente ponantur ſub fimo in aceto, & addatur de ſangvine vulturis, poſt paucos dies omnes recuperant vitam. Nominari heic quoque poteſt ipſe *Beckerus*, qui in mundo *faſc. l. 3.* duo habet capita, ſecundum & tertium, ubi agit de ſtupendis Naturæ viribus, juncto §. 4. poſtquam de Architæ Tarentini columba lignea volante, & ferreo corvo volante Imperatori Carolo exhibito, item de

Muſca

Muſca Norimbergenſi mentionem feciſſet, memorat Cardanum de ſubtil. & VVinandi von Weſten Mathematiſche Ergötzlichkeiten/ librum octies Gallice, quinquies Belgice impreſſum & venditum, ſubjiciens: Wer den Handel nicht verſtehet/ und vor ſeinen Augen ſiehet / der wird meynen/ daß zum wenigſten die Helffte nicht natürlich ſey ꝛc. Cap. 2. autem §. 5. ex Antonio Leevvenhoock Delphenſi oſtendit, eum per Microſcopium demonſtraſſe, quod fruſtulum ligni ex quercu, non excedens latitudinem ſtraminis, triginta ter mille partes habuerit, quæ ſingulæ millionibus minores erant, quam granulum ſabuli, & tamen quævis pars quinque nodos habuit. Angvillam habere ſquamas vidit per Microſcopium, & quamlibet ſquamam ſex aut ſeptem mille partes continere. *Libr. 4. c. 7. §. 6.* mentionem facit Doctoris *Ammani*, qui in libro: *Surdus loquens*, docuit methodum, quomodo ſurdi ſermonem alterius intelligere, & artem hanc intra paucos dies diſcere poſſint. Hæc ergo, & vel ſexcenta alia artificio naturali fiunt, quod ſpiritus ſeparatus & rerum abditarum vel ex longiſſimo uſu ſui ipſius aut aliorum peritiſſimus, uti eſt diabolus, multo adhuc perfectius & ingenioſius perficere novit. Corpus autem exiſtens a malo ſpiritu agi aut animari poſſe longe evidentius adhuc eſt. Nam quid obſtat, quo minus diabolus corvum, felem, aut hircum obſidere, animare aut operationes aliquas peculiares per hæc animalia edere poſſit, cum concedatur certa & unanimi Theologorum ſententia, Diabolum obſidere animum hominis, ita, ut eo adigente peculiares motus corporis edat, perverſe loquatur, & neſcio quæcunque non quandoque contra ſuam voluntatem perpetret. Quam ſententiam non in dubium prorſus vocare velle Præſidem Celeberrimum Diſſertationis de Crimine Magiæ arbitramur, quia *§. 31. diſſert. ad P. Poireti Libros de Eruditione &c.* ſuam opinionem de Hominibus, in ſtatu, uti ipſe loquitur, beſtialitatis conſtitutis, ſic ſuis verbis explicat: Primum hominem, cum excideret ex ſtatu integritatis, libera voluntate a ſpiritu divino deflexiſſe, atque animam ejus per deſiderium & amorem creaturarum inferiorum redactam eſſe ſub imperium diaboli, ita, ut omnes homines hodie natura ſint filii iræ, & imperio diaboli ſubjecti, earum animas per internos motus iis dominantes regit, ut in ſtatu beſtialitatis magis magisque degenerent, & (citra pactum tamen) magis diabolum exprimant, quam ipſe diabolus. Et paulo poſt de his, uti vocat, beſtiis ſic loquitur: Beſtiæ, quæ plurimi ſunt, ita obruteſcunt, ut vel diabolum non credant, vel, ſi credant, timeant, & ſuperſtitioſo Dei

cultu persuadeant, se pœnas æternas effugere posse. Hic non videtur interesse diaboli, ut pacta cum iis ineat, cum ob errorem capitalem & vitam carnalem jam ipsius regno sint satis addicti. Ex his igitur paucissimi tantæ sunt audaciæ, ut audeant se Diabolo devovere. Unde patet, si homines in statu bestiali non facile audent se devovere diabolo, nec pactum cum ipso inire, & tamen ipsius imperio ita subjecti & addicti sunt, ut eos regat, sequi omnino, quod contra ipsorum voluntatem ipsis imperet, eosque regat, id quod Theologorum sententiæ de Obsessis quodammodo respondet. Ipsam autem operationem spiritus in cadaver quod attinet, ejusque animationem, illa ex antea dictis vel sua sponte fluit, &, quod palmarium est, exprincipiis §. 24. prolatis, factisque exinde §. 25. seqq. consecutionibus haurienda est.

Refutatur argumentum secundum.

§. 20. Secundum argumentum §. 32. dictæ Disp. sic proponitur: *Si diabolus posset assumere corpus, falsa esset assertio Christi, quod spiritus non habeat carnem & ossa, & ineptum foret argumentum, quo Christus voluit uti ad convincendos Apostolos. At utrumque horum cogitare blasphemum est.* Resp. hoc argumentum licet primo intuitu aliquam veri speciem præ se ferat, si tamen dictum Christi accurate consideretur, plane nihil infert, & consecutio, quæ inde deducitur, penitus nulla est. Quod ostendi potest 1) κατ' ἀλήθειαν, per rationem, 2) κατ' ἄνθρωπον, ex ipsius Beckeri, unde illud desumtum est, hypothesi. Quod ad *primum* attinet, notandum est, assertionem illam Christi: *Spiritus carnem & ossa non habet*, intelligi posse vel *absolute*, quod nimirum spiritus per absolutam naturæ suæ impossibilitatem se corpore & ossibus induere non possit; vel *relative*, quod de lege communi spiritus & carnem & ossa non habeat, & quod homines vulgi, inter quos etiam discipuli erant, hoc sciverint & admiserint. Priori modo, nimirum *absolute*, assertio Christi, quod spiritus carnem & ossa non habeat, intelligi nequit; sequeretur enim ne Deum quidem efficere aut permittere unquam posse, ut spiritus separatus carnem & ossa assumat. Nam, quæ Deus semel constituit absoluta naturæ necessitate, illa ob constantiam & sapientiam suam aliter efficere nequit. Sibi namque contradiceret, & opus suum destrueret, quod in Creatore sapientissimo argueret imperfectionem. E hac causa certissimi sumus, quod pars nunquam fieri possit major toto, quod ignis proprie acceptus, quoniam per naturam urere præsumitur, nunquam fieri possit frigidus, quod bis quatuor non constituant septem, & quod contradictoria non possint unquam fieri vera, quia Deus ipsorum essentiam absolute ita constituit, alias enim nulla forent contradictoria.

Deum

Deum autem efficere non posse, ut spiritus assumant corpus, ne Adversarius quidem ipse affirmare potest. Quoniam ergo hæc assertio Christi apud Lucam *c. 24. v. 39.* propter allatam rationem absolute intelligi nequit, sequitur, quod dictum Christi, *Spiritum carnem & ossa non habere*, posteriori modo, nempe *relative* & *respective*, prout de lege communi fit, & quemadmodum vulgo homines non accidere vident, quod diabolus carnem & ossa habeat, accipiendum sit. Ac bene notandum est, quod in textu non dicatur, spiritum carnem & ossa non assumere posse, sed non habere. (οὐκ ἔχει.) *Habere* enim notat naturalem & ordinariam rei constitutionem. *Assumere* vero notat communiter temporarium quid, & quod ad essentiam rei perpetuo non pertinet, uti vox ipsa indicat. Idcirco multum intererit inter corpus proprium, & quod aliunde assumtum est. Proprium corpus spiritui nemo tribuerit, nisi qui ejus naturam materiæ expertem esse ignorat. Id quod intelligebat Servator humani generis, cum spiritum habere ossa & carnem negaret. At corpus aliunde ad tempus assumtum nihil impedit, quo minus spiritui assignetur, quando cum eo non intime conjungitur, & tum assistens modo est forma, ut ajunt Philosophi, non forma corporis informans. Quo pacto, spiritus apparebit quidem hominibus vero, quod ascivit, indutus corpore, at naturæ suæ conditione corporeus neutiquam erit. Aliud foret, si unio hæc, quæ spiritui cum suscepto corpore intercedit, essentialis seu personalis foret, quæ tamen accidentalis tantum vel formalis erit, ad certum tempus hominibus facta. His positis, perspicuum est, consecutiones, quas amplectitur Autor Dissert. nullas esse. Si enim diabolus potest assumere corpus, hoc est, animare per artes suas, condensare, aut alio quodam modo efformare, ac per illud operationes suas edere, non consequitur, falsam esse assertionem Christi, quod Diabolus per naturalem suam constitutionem, uti homines, carnem & ossa non habet. Utrumque enim verum est, nec ullo modo sibi repugnat, Diabolum posse per tempus & artificia sua assumere corpus; & tamen corpus ex carnibus & osse constans non habere, tanquam nos homines, quod ad naturæ ipsius constitutionem pertinebit. Alias enim non spiritus separatus aut completus, uti a Pnevmaticis appellatur, foret, sed homo & Spiritus incompletus, ad corpus semper animandum ordinatus. Similis est ratio secundæ consecutionis, quæ itidem nulla est. Nam poterat Christus discipulos satis firmiter ex scientia ipsorum in Lege & experientia communi fundata convincere, quod ipse non esset Spiritus. Discipuli enim non aliter in vita per sensus & communem rerum usum edo-

cti

ti erant, quam, si tangerent carnem & ossa, quod ejusmodi persona verus esset homo, & quod spiritus carnem & ossa per naturalem sui constitutionem, uti homines, non haberent. An vero spiritus interdum & ad tempus aliquod corpus posset assumere, eo non assurgebat eo tempore intellectus & ratiocinatio discipulorum, qui communibus tantum & sensualibus rebus ordinarie & ex communi experientia cognitis inhærebant, quod plurimis exemplis doceri potest, & a Theologis nostris satis ostensum est. Interdum etiam scitu sibi valde necessaria in rebus spiritualibus, uti de regno Christi, similibusque, ignorabant. Imo interdum in iis a Christo edocti vix assentiebantur dictis. Hæc κατ' ἀλήθειαν & ex rei veritate desumta est responsio. Sequitur *altera* κατ' ἄνθρωπον, & quæ ex ipsius Beckeri hypothesi depromi potest. Nam statuit Beckerus in der bezaubertenWelt/*l.2.c.28.*quod Christus in operibus suis & sermone suo ad opinionem populi & discipulorum se accommodaverit, nunquam vero veras sententias explicaverit, uti in se erant,& intelligi debebant. Adducamus ex ipso Beckero aliqua loca, uti ex Belgico Idiomate in nostram linguam translata sunt. Citato *c. 28.* §. *2.* inquit: Unser HErr JEsus/da er auff Erden wandelte / ließ niemahls in seiner Lehre blicken / daß er kommen wäre denen Menschen die natürlichen Ursachen eines oder andern Dinges/ noch auch die Irrthümer in denen eintzelen Begreiffungen derer Dinge / sondern allein die jenigen/ welche die Sitten und den Gottesdienst betreffen/ zu verbessern. Quod exemplis populi & discipulorum copiosissime §. 2. & 3. citatis ex sacra Scriptura locis probat. §. 5. citati loci ait: Aber keine besondere Hauptstücken des Glaubens / als von der Schöpffung / insonderheit derer Engel/ von der Erwehlung/von der Rechtfertigung/ von der Erbsünde/ selbst von seiner Gnugthuung vor unsere Sünde; und hat er niemahls / davon man lieset / mit Vorbedacht und hauptsächlich erkläret / als bloß von etlichen derer gemeldeten Stücken hier und da wohl etwas beyläufftig und bey Gelegenheit gemeldet / doch dieses war so viel nicht / daß man daraus eine völlige Verhandelung in einigen Lehrstücken solte machen können / als alleine um das/ was anderswo aufgesetzet/ durch die eine oder andere Gründe zu bestärcken. §. 8. Was selbst seine (Christi) eigene Person belanget/ wie gröblich darinne die Menschen irreten/ indem keiner von allen zu dieser Zeit glaubete/ daß er es wäre / oder daß Messias seyn müste wahrer GOtt von Ewigkeit/ einerley Wesens mit dem Vater/ sondern alleine ein göttlicher Mann / und ein grosser Prophet / welches das höchste war / das Cleophas noch nach seiner Auferstehung von ihm zeugete/ Luc. 24. v. 19. Ein solch wichtiges Hauptstück des Glaubens

beliebte

beliebte unſerm HErrn damahls noch nicht zu erklären / ſondern er ließ die Menſchen in dieſem Wahn/biß daß er gen Himmel gefahren und ſich zu der rechten Hand GOttes geſetzet/den Geiſt ausgoß/und die Wahrheit redete ꝛc. & concludit §. 15. Weil denn der Seligmacher nicht vor hatte/ (wie gezeiget worden) die Wahrheit derer Dinge zu erklären / ſo kunte er auch davon nicht anders reden/als man redete / wenn er wolte verſtanden ſeyn. Er gab denen Kranckheiten ſolche Nahmen / als ſie unter dem Volcke hatten / welches niemand frembde vorkommen muß / weil dieſes aller Weiſen Regul iſt: Loquendum cum multis, ſentiendum cum paucis, mit vielen einig in der Rede/mit wenigen einig in der Meynung ſeyn: alſo thät Chriſtus auch ꝛc. Ex quibus adductis Beckeri verbis contra diſſentientes ſic colligi & reſponderi poteſt: Quoniam Chriſti intentio non fuit diſcipulis explicare, quomodo & quatenus Spiritus corpus aſſumere poſſet, ſatis ipſi erat, quod iſtos inſtrueret & convinceret, ratione, quæ ad ipſorum captum erat accommodata, & quæ ex eorum communi ſententia, quam ipſi veriſſimam agnoſcebant, erat deſumta. Id quod Chriſto in more fuiſſe poſitum itidem Beckerus loc. cit. per integrum caput affirmat & adſtruere nititur. Adeoque quod diſput. de Crim. Magiæ Autor in fine hujus argumenti de blaſphemia annectit, aut ex intellecta parum argumentatione profectum eſt, aut in ipſum Beckerum, quem tamen ſequitur, dictum erit. Certe ſi communem ſententiam de condenſatione corporis ex aëre aut elementis ſequamur, dictum *Lucæ XXIV, 39.* nullam pariet difficultatem, nihilque ad propoſitum faciet. Chriſtus dicit, ſpiritum carnem & oſſa non habere, & proinde nec corpus, nimirum genitum, & ſolide compactum ex dura ſubſtantia. Hoc totum concedi poteſt. Sed non ſequitur inde: ſpiritum corpus ex aëre aut elementis condenſatum, quod quidem carnem & oſſa hominis non habet, non poſſe aſſumere aut aſſumſiſſe. Conferatur tamen Tertullianus d. Carne Chriſti, *fol. m. 22.* & Auguſtinus in *Enchir. ad Laurent. cap. 59.* qui difficultatem ex *Geneſ. XVIII. XIX.* movent, quod corpora Angelorum contrectata & lota fuerint.

Refutatur argumentum tertium.

§. 21. Tertium Autoris Celeberrimi pro negante ſententia argumentum hoc eſt: *non poteſt diabolus turbare potentiam & ordinem naturæ inviſibilis, Ergo non poteſt corpus aſſumere, tempeſtates excitare, hominem per aërem transferre &c.* Eſt autem per potentiam & ordinem naturæ in genere intelligenda illa conſtitutio aut œconomia cuique rei ſecundum naturæ ſuæ proprietates, leges & habitum reſpondens. Uti v. c. potentia & ordo naturæ viſibilis, & quidem in corpore humano, eſt, quod

corpus sit grave, & tendat deorsum, quod a flamma comburatur, quod non simul in duobus locis esse possit. Eadem est ratio potentiæ & ordinis naturæ invisibilis, quæ itidem secundum œconomiæ suæ invisibilis leges & proprietates constituta est. Quoniam vero natura invisibilis duplex est, vel bona vel mala, hinc etiam potentia & ordo naturæ invisibilis gemina est, vel *bona* vel *mala*. Per potentiam & ordinem Naturæ invisibilis *bonæ* intelligitur divina & perfecta constitutio spiritualis, qua Deus bonos Spiritus, & res omnes, quæ peccato non infectæ sunt, aut ipsi repugnant, cœlesti & divino robore, potentia, gratia & sapientia, cæterisque perfectionibus exornat, & in hoc statu eas conservat & auget, & fere coincidit cum regno Gratiæ apud Theologos. Per potentiam Naturæ invisibilis *malæ* intelligitur habitus & constitutio illa corrupta Entium invisibilium, quæ a Deo defecerunt, & depravata sunt, & explicari quodammodo ex doctrina Theologorum de regno Potentiæ potest. Ut igitur breviter nos expediamus in responsione ad argumentum, appellabimus termino technico, sed noto, ordinem & potentiam Naturæ invisibilis *bonæ*, Potentiam *lucis*; & contra, Potentiam & habitum Naturæ invisibilis *malæ*, Potentiam *tenebrarum*. Utimur hac denominatione hoc loco ex duplici causa: 1)quia Scriptura Sacra hos terminos adhibet, & exinde omnibus noti sunt; 2) quia Auctor Thes. de Crim. Magiæ hos loquendi modos ipse amat, dum §. 7. in fine inquit, non solum credimus, sed aliquo modo scimus, Diabolum esse principem tenebrarum & aëris, h.e. substantiam spiritualem seu invisibilem spirituali seu invisibili modo, mediante aëre & corpusculis naturalibus aqueis & terrestribus, operantem in hominibus improbis. Itaque cum Potentia & ordo Naturæ invisibilis *duplex* sit, vel *Lucis* vel *Tenebrarum*, *Deus & boni Angeli* habebunt Potentiam & Ordinem Naturæ invisibilis *bonæ s. Lucis*, illis autem oppositi erunt *Spiritus mali*, qui potentiam & ordinem vel potius confusionem Naturæ invisibilis *Tenebrarum* habent. Ex quibus porro sciendum est, Diabolum non posse turbare aut pervertere Potentiam & Ordinem Naturæ invisibilis *Lucis*, atque bonorum Spirituum. Illi enim majori robore & sapientia divinitatis pollent; sed potest diabolus turbare, pervertere, commiscere & disturbare Potentiam & Ordinationem suam Naturæ invisibilis *tenebrarum*, quia, dicente Scriptura, ipse est Dominus Tenebrarum. Cum itaque ipse ordinarit, hoc vel illo modo tenebras suas, eatenus sua Potentia aliter eas itidem disponere & inter tenebras suas regnum exercere potest. Quis enim ipsum impediret? Non ipse semet ipsum, neque Deus, qui ipsum ad hos Tenebrarum carceres condemnavit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [32] - 26
PUBLIC DOMAIN

vit. Hinc quatenus diabolus se in regno suo invisibili tenebrarum continet, dominari in eo pro lubitu potest, & omnibus istis, qui se tenebris atque peccatis & malitiæ ipsius mancipant. Jam sistimus responsionem ad argumentum nobis oppositum: Si diabolus non potest turbare potentiam & ordinem naturæ invisibilis *malæ*, sequitur, quod non possit assumere corpus. R. falsum est antecedens, scil. quod diabolus non possit turbare Potentiam & Ordinem Naturæ invisibilis *malæ, s. tenebrarum.* Nam diabolus potest omnino, si vult, & quando vult, turbare Potentiam & ordinationem suam malam, quam ipse constituit. Nam etiam homo, (De noctambulonibus & lunaticis, qui constitutionem naturæ visibilis ideo non turbant, quamvis multa, quæ naturæ ordinarios limites egrediuntur, agere queant, vid. Alstedius in Encyclopœdia Phys. part. v. 1. c. 2. p. 745. & Samuel Pomarius duabus dissert. de Noctamb.) licet non possit supergredi ordinem Naturæ visibilis, ut uno momento temporis Romæ, aut simul Romæ & Lipsiæ sit, potest tamen turbare ordinem Naturæ visibilis, eam permiscendo, mutilando, aliter componendo &c. v. g. ut ex ventre loquatur, se membris mutilet, cum brutis se commisceat, & monstrum generet, ignem vomat, in aërem attollatur, aut aquis inambulet &c. multo magis ergo & facilius hoc diabolus faciet. Retinuit enim diabolus etiam post lapsum naturalem suam constitutionem, intelligendi vim, astutiam, volendi actus &c. adeoque potentiam non levem, uti Theologi docent, & amisit tantum divinum lumen, bonitatem, gratiam. Imo, quoniam Diaboli natura per lapsum in defectu & perversione consistit, patet, diabolum non aliter posse, quam pervertere, destruere, turbare &c. ad similitudinem hominis mali & perversi, qui semper naturæ suæ perversæ conformes actiones edit. Quando autem argumentum sic intelligitur: Si diabolus non potest turbare Potentiam & Ordinem naturæ invisibilis *bonæ*, sequitur, quod non possit assumere corpus &c. R. negando consequentiam, quia corpus, quod assumit, non assumit ex regno gratiæ & ordine Lucis, sed tenebrarum, quod format per reliquias scientiæ intellectus sui naturalis. Notandum præterea est, corpora & res in hoc mundo veluti mixtas esse ex bono & malo; hinc Potentia bona & mala invisibilis in ipsas agit plus aut minus, & unum fortius aut remissius altero, prout bonum aut malum prædominatum fuerit in illis.

§. 22. Sequitur quartum argumentum Autoris Thesium de Crim. Magiæ. Putat enim *omnino non cohærere, quæ homines de tanta Potentia diaboli in naturam invisibilem garriunt, quoniam possit crepitu ventris pelli, aut quia non possit aliquid auferre ex Bibliis.* R. hoc argumentum joci potius *Refutatur argumentum quartum.*

potius causa, quam serio afferri putamus. Tanta enim Judicii vi Virum Celeberrimum pollere certo persuasi sumus, ut serio non crediderit, verba illa de crepitu ventris proprie accipienda esse, sed quisquis hac expressione usus est, quod præter alios Lutherum fecisse novimus, contemtim & per Ironiam aut per Sarcasmum de diabolo ita locutus est, quemadmodum, si quis dicat, se uno halitu posse legionem argumentorum sufflare, aut hostem vivum deglutire. Notatur enim hisce loquendi modis, quod pueri intelligunt, facilitas repellendi adversarium ab eo, qui gratia cœlesti & fide vera pollet. Quod additur, non esse, ut recurramus ad fidem, dicimus omnino necesse esse, ut fide nos exarmemus, *(conf Eph. 6. v. 16.)* & ad illam recurramus. Fides enim est illud instrumentum, per quod roboris divini reddimur participes, ut diabolus vim suam in nos exercere nequeat. Quod porro rationis loco adjicitur, cur ad fidem non sit recurrendum, frivolum & Viro gravi indignum scomma est, nimirum, si fide diabolus ejicitur, non opus esse crepitu ventris, nisi forsan crepitus ventris iterum distinguatur. Quis enim unquam, ut præcedentia repetamus, tam demens fuit, ut crepitu ventris diabolum pelli existimaverit, imo, quis tam ineptus erit, ut credat, Virum Celeberrimum capere non potuisse, ejusmodi loquendi formulam ab aliquo robore & gratia divina nixo prolatam fuisse, in majorem contemtum diaboli, non vero, quasi quis statuerit, pellendi Dæmonem potentiam inesse sono crepitus. Sed ita luditur vocabulis loco argumentorum, in causæ propriæ damnum, quando ab aculeata irrisione nobis temperare nondum assuevimus. Quia autem additur in argumento, quod diabolus non possit aliquid auferre ex Bibliis, id quod serio pro impotentia diaboli adstruenda dictum esse videtur; causa hujus rei verbo indicanda est. Spiritus maligni nullam habent potentiam aut jus agendi, nisi in ipsorum elemento, quod est regnum peccati & tenebrarum. In hoc tantum movere & auferre possunt, quantum intellectu, voluntate & agendi efficacia pollent. Verum res aut Ens in suo genere & regno efficax & potens amittit vim & robur suum, si majus quid, & quod aliquis timendi causam habet, supervenerit. Hinc atrociſſimi, robustissimique latrones animum abjiciunt, si in facinore suo aliquid supervenire audiverint; & fur audacissimus ad laternæ vel lucis alicujus scintillationem aufugit, licet nullus adsit, qui ipsum valide constringere queat. Jam, si homo pius fide & gratia Dei ejusque robore sit armatus, causa facile patere potest, cur malignus aliquis spiritus terreatur, quo minus folium aliquod in Bibliis positum auferre possit, non quasi literarum character, locus, situs aut externa vis illud impedirent, sed quia potentia una naturæ invisibilis divinæ

in

in homine pio, potentior & major est, quam potentia altera naturæ invisibilis in malo dæmone. Alias si homo malus aut divina gratia non pollens, prohibere voluerit quicquam Spiritui malo, responsum feret, quale circumcursitantes Judæi, *Act. 19. v. 15.* Novi Jesum & Paulum, qui divina virtute ejiciebant dæmones, qui autem estis vos?

§. 23. Restat quintum & ultimum pro negante argumentum, quod Beckerus fere eodem modo proponit *l. 3. c. 3. §. 12. & 14. Nullus, dicit, est usus fœderis diabolici, neque ex parte hominis, neque ex parte diaboli.* Non ex parte hominis, quia decipiuntur ii, fatentibus adversariis, quando voluptatum, divitiarum, honorum &c. causa pacta inierunt, ac etsi non deciperentur, possent tamen hæc omnia levi industria & astutia sine pacto diabolico facile acquiri. Nec utile est pactum a parte diaboli: Nam 1) homines voluptatibus, avaritiæ & ambitioni dediti jam ante pactum diaboli sunt mancipia. 2) Si dixeris, pactum iniri a diabolo, ut hominibus noceat, respondetur, non noceri posse per hoc piis, sed nec impiis, quia diaboli sunt mancipia. Si dixeris, duplex vinculum fortius adstringere. Resp. 1) falsum hoc esse, quia Spizelius Theologus affirmet, quod Magi non adeo difficulter chirographum possint recipere, 2) homines etiam difficillime posse consequi dominium in affectus, adeoque satis jam diabolo esse obnoxios. Ut omittam *Glanvilii* ex Philosophia Cartesiana allatam responsionem, quod finis non sit cognitu necessarius ad rei alicujus demonstrationem, aut ad cognitionem ejus naturæ & existentiæ. Resp. Usus rei alicujus est vel *verus* vel *imaginarius*. Licet igitur per fœdus diabolicum non impetretur usus vere intentus, sufficit tamen, si sibi persuadeant, & imaginentur aliquem contrahentes homines usum. Nihil namque in vita frequentius est, inprimis inter eos, qui non ratione, sed imaginationibus & passionibus agitantur, quam ut sibi, nescio quid, persuadeant aut persuadere patiantur, & propter hanc persuasionem de concepta utilitate tantum imaginaria se ad negotium suscipiendum determinent actionibus suis. Itaque licet decipiantur cum diabolo societatem ineuntes, persuaserunt tamen sibi usum aliquem, nimirum quod honores, voluptates aut divitias impetraturi essent. Quod additur, homines levi industria eadem consequi posse; ad illud reponitur, quod leviori adhuc, imo levissima opera omnia impetrentur, si in arte hac exercitatissimus dæmon media inspiret ea comparandi, quæ nemini tam facile in mentem venissent. Sunt etiam stupidi, qui ne quidem ad inveniendum aliquod medium apti sunt, nisi ipsis illud ab

Refutatur argumentum quintum.

alio ſuppeditetur, id quod ſpiritus aliquis omnium faciſſime præſtare novit. Igitur utile certe eſt pactum diabolicum a parte hominis. Diabolo pactum cum homine plane inutile eſſe, etiam ſine ratione adſtruitur. Dicitur quidem homines ambitioni, avaritiæ & voluptati deditos jam ante pactum eſſe Diaboli mancipia. Sed ſciendum eſt, homines vitiis deditos in eo quidem ſtatu verſari, ut Diabolus ad ipſos aditum habeat patefactum, eosque ad obſequia ſibi præſtanda inclinare poſſit; inde tamen non conſequitur, ipſos illius eſſe mancipia in ſenſu ſtrictiori. Mancipium enim eſt, in quod quis pacto aut a majoribus inito, aut præſenti expreſſo, ſive per bellum violenter, ſive voluntario, adeoque jure pleno tale dominium exercet, ut ipſius imperium declinare nec velit, nec ullo modo poſſit, verum ipſi penitiſſime ſit obnoxius. Hoc de hominibus, qui vitiis immerſi ſunt, dici nequit. Volunt enim multi renunciare, ſecundum illud Medeæ: Video meliora proboque &c. Ergo deſiderant liberari a vitiis, licet illud faciant frigide & negligenter. Poſſunt etiam homines, quia divina miſericordia ipſis ſemper præſto eſt, quatenus ipſi eandem non ejurarunt. Aliter vero ſentiendum eſt de mancipiis diaboli, qui pacto expreſſo divinæ Gratiæ renunciant, & ſe diaboli ſervitiis, quanti quanti ſunt, conſulto & data opera addicunt. Hi enim nec volunt divinæ Gratiæ eſſe participes, quia eam adſpernantur, dum ſe omni conatu dedunt ſervitiis Diaboli, nec ex poſtfacto poſſunt, quia ſpiritus malignus jus habet in ipſos magis quæſitum ex conventione & pacto expreſſo voluntario. De cetero quod dicitur, per pactum ejusmodi expreſſum nemini noceri poſſe, falſum eſt. Nam piis nocere quidem ſpiritus malignus nequit, ſi ſemper & omni ex parte forent perfecti, & pietati quovis momento & omni in re incumberent. Verum, quia vere etiam pii non abſolute in hac vita confirmati ſunt in bono, ſed mox peccata præcipitantiæ, mox infirmitatis, imo etiam negligentiæ committunt, patet facile janua, ut Diabolus permiſſu Dei vel ipſe, vel per maligna ſua inſtrumenta iis nocere poſſit. Impiis autem nocet, ut ipſis viam magis præcludat, per pactum expreſſum ſe eripiendi quantocyus ex ejus poteſtate, quia ſponte ſe ipſius obſequio devoverunt. Dicitur quidem, Magos ſe liberare poſſe a pacto Diaboli expreſſo, quia chirographum non adeo difficulter recipere poſſint; ſed nemo Theologorum aut alius quispiam rem, prout eſt, ponderans dicet, hominem per pactum expreſſum ſocietati diaboli innexum pari facilitate liberari poſſe ab ejus poteſtate, ac talem, qui communibus ſe tantum peccatis a Deo avertit.

Dicunt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [36] - 30
PUBLIC DOMAIN

Dicunt quidem, etiam Magum liberari posse a potestate diaboli, quia ob infinitam Dei misericordiam hoc non plane sit impossibile; sed nunquam illi aut alii statuent, eadem facilitate liberari posse hominem a potestate Satanæ, duplici vinculo ipsi obnoxium, quam communi pravitate peccantem, adeoque liberatio comparative intelligenda est. Hoc quidem non negatur, difficile esse homini etiam vere pio, se liberare a passionibus & vitiis suis, sed evidens tamen simul est, quanto graviora sint vitia, & quanto deteriores passiones, eo etiam esse difficilius, se liberare ab ipsarum servitute. Qui vero societatem frequentem & pactum cum Diabolo expressum iniit, deterioris malitiæ habitus induit, Ergo etiam omnium difficillime ab isto malitiæ habitu liberabitur, quia præter ea, quæ homo peccator alias committit in vita, ex consortio diabolico fœdiori crimine se maculavit. Falsum proinde apparet esse, quod Spitzelius p. 3. der zerbrochenen Macht der Finsternüß ꝛc. dixerit, uti disputatio de Crimine Magiæ de eo inquit, non adeo difficulter Magos chirographum suum a diabolo recipere posse. Probari etenim hoc potest ex ipsius verbis, dum 1) p. 440. tantum inquit: Ob nun die Teuffliſche Bund und Zauberſtücke über alle maſſen ſtarck und grauſam; ſo ſind ſie doch nicht unaufflößlich und unzerbrechlich ꝛc. 2) adstruunt hanc ejus mentem, & quod difficulter ejusmodi pacta solvi posse autumaverit, exempla ab eodem p. 477, 478. & 545. allegata; 3) adhuc expressius ipse Cap. 5. adstruit hanc difficultatem per integrum capitis titulum, ita ab ipso conceptum: Groſſe Hinderung dieſes heilſamen Bekehrungs-Werckes an Seiten des leidigen Satans ꝛc. & p. 602. ait: unleugbar iſt zwar/ daß es mit ſolchem Erledigungs-Wercke über die maſſen harte zugehet/ daß ſich ſolche Todes-Stricke und Höllen-Bande ſo leicht nicht auflöſen oder zureiſſen laſſen/ allermeiſt darum/ weil der Satan mit ſeinem Hexengeſinde ſich auf das genaueſte vereinbaret/ und mit ihnen/ ſo zu reden/ ein Geiſt wird/ überdas (vornehmlich bey allgemeinen Verſammlungen) die Verleugnüß GOttes wiederholen/ und die dem Satan gethane Verheiſſungen mit erſchrecklichen Schwühren bekräfftigen ſollen. Capitis seq. VI. titulus hic est: Schwerigkeit ſolcher bußfertigen Aufrichtungen an Seiten der Teuffeliſchen Buhl und Bundesverwandten ſelber ꝛc. & p. 608. recenset causas, cur multi, etiamsi ipsi resipiscere videantur, facile tamen ad priorem consuetudinem redeant. Ex quibus aliisque, an facilem pactorum diabolicorum dissolutionem concesserit Spitzelius, alii judicent. Nihilominus fac asseverasse eum

eum tale quid, istud sane huic quæstioni parum aut nihil negotii faceſſet, & idcirco tamen celeberrimi Autoris concluſio nondum corroborabitur.

Acceſſus ad probandam Affirmativam, de Cautione Criminali & de Auctoribus prudentiam ſuadentibus in proceſſu contra ſagas.

§. 24. Tantum de ſolutione argumentorum ſententiæ negantis, unde conſtare poteſt, an ſolide quid a Beckero, & qui ipſum ſequuntur, allatum ſit. Supereſt, ut noſtram ſententiam proponamus. In quo ſic verſari nos decet, ut amicum Platonem & amicum Ariſtotelem habeamus, ſemper tamen magis amicam veritatem veneremur. Quare vitio nobis verti non poteſt, ſi neque Carpzovii, neque Spitzelii, nec alterius, quisquis tandem ſit, partes, quas diſputatio ex inſtituto oppugnat, ſemper & ubique ſequamur, neque etiam in omnibus rejiciamus ſtudium & bonam intentionem Auctoris Theſium Inauguralium de Crim. Magiæ, coarguentis abuſus proceſſuum & opinionum in hoc argumento, quanquam id jamtum multi ante ipſum præſtiterint, uti Malleus Judicum, Cautio Criminalis, Joh. Matth. Meyfartus in der Chriſtlichen Erinnerung an Regenten und Prediger/wie das Laſter der Zauberey mit Ernſt auszurotten / und beſcheidentlich zu verfolgen ſey ꝛc. quæ ſcripta hoc anno conjunctim Idiomate Germanico in 4to impreſſa, adjunctis diverſis proceſſibus edita ſunt Halæ a L. *Johanne Reichio*, qui diſputationem de Crim. Magiæ vulgavit; cujus Viri Clariſſ. pace id unicum dixerim, adductos Autores conceſſa Magiæ exiſtentia id velle, ut prudentia, circumſpectio, & æquitas debita in Proceſſu circa Magiam adhibeatur. Quod *Malleus Judicum* Magiam & lamias concedat, perſpicuum eſt ex Cap. IX, ubi docetur, quomodo legitime tolli poſſit non ſuperſtitio magiæ, ſed crimen hoc ipſum. Fruſtra autem media ſuggeruntur, quomodo res tolli queat, quæ non extitit. *Meyfartus* autem in Præf. deprecatur Judicium de ſe, quaſi omnem legitimum proceſſum tollere vellet. *Cautio Criminalis*, uti ſuperius jamtum §. 11. monuimus, *dubio 1. p. m. 2.* diſerte ait: id omnino tenendum exiſtimo, revera in mundo maleficos aliquot eſſe, nec id ſine temeritate ac præpoſteri judicii nota negari poſſe; dubio autem *6. & 12.* docet, non ceſſandum eſſe a cauta, circumſpecta & minime periculoſa inquiſitione, ob quatuor rationes *dub. 6.* allatas. Quod vero Conſultiſſimus Editor hanc ſententiam ſtolidam appellat in Præf. ineo, ut ne plus dicamus, fallitur. Nam citra præjudicium & ſecundum bonæ interpretationis normam librum inſpicienti ex *dub. 1. 3. 7. & 48.* quæ in contrarium ſibi favere credit, hoc maxime manifeſtum eſt 1) dari Magiam, uti expreſſe verba paulo ante allegata & ratio ex dubio *6. & 12.* probat, cui addi poteſt dub. 3, in quo crimen hoc eſſe atrociſſimum, enormiſſimum, graviſſimum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [38] - 32
PUBLIC DOMAIN

mum dicitur, quia in eo concurrunt circumſtantiæ criminum enormiſſimorum, apoſtaſiæ, hæreſeos, ſacrilegii, blaſphemiæ, homicidii, parricidii. 2) patet, Magiam & lamias atroci ignis remedio ſimilibusque extirpari non poſſe, ſed aliis mitioribus pœnis, *dub.* 7. hinc recte circa hanc rem ſtatuendum & inquirendum eſſe, quoniam dæmon etiam innocentes in tripudiis poſſet repræſentare, quod oſtenditur refutatione argumenti *dub.* 8. Hæc igitur non præcipitanter ad ſemel conceptam de Autore opinionem ſtabiliendam, ſed ad legitimas Interpretationis regulas exigenda & accipienda ſunt, tunc enim nullis conjecturis, quibus textus repugnat, opus erit. Verum, ut in viam, unde digreſſi ſumus, redeamus, veritati locum ubique concedentes, ea conſectabimur & defendemus, quæ juſtis principiis & fundamentis ſubnixa ſunt.

§. 25. Ut autem diſtincte procedamus & vera a falſis ſeparemus, antequam ſpiritum in materiam & corpus operari poſſe probamus, melioris lucis cauſa in re difficili & impedita præmittemus nonnulla principia, quæ natura nota ſunt, & extra dubitationem poſita. *Primum* eſt: Simile in aliud ſibi natura ſimile poteſt operari. *Ratio eſt*, quia res, quæ naturæ affinitatem habet cum alia, proportione alteri & æqualitate eſſentiæ reſpondet. Quæ autem eandem aut ſimilem habent eſſentiam, ſe facile poſſunt contingere, & ſeſe invicem communicare. Hinc nemo dubitat, corpus unum poſſe alterum contingere, & eidem motum imprimere. Habent enim hæc inter ſe proportionem & ſimilitudinem naturæ. Sic cogitatio poteſt agere in cogitationem, ut ſe moveat, non vero in corpus, cui cogitatio immediate non eſt connexa: v. g. jubeo famulo, ut afferat ſeu loco moveat librum; cogitatio mea ſive deſiderium meum aut voluntas non movebit librum, quem deſidero, ſed tamen cogitatio mea movebit cogitationem famuli, & hujus cogitatio ipſius cogitationi connexum corpus, & corpus famuli movebit per contactum, librum deſideratum, ut voto meæ voluntatis hac operatione fruar. *Secundum* principium eſt: Quæ nullam habent inter ſe naturæ proportionem, connexionem aut ſimilitudinem, ſi medium aliquod inter hæc interceſſerit, in ſe invicem operari & agere poſſunt. Nam vi iſtius medii proportionem, connexionem aut ſimilitudinem aliquam inter ſe conſequuntur. Itaque videmus, quod anima cogitans poſſit movere manum, licet cogitatio noſtra & manus nullam habeant inter ſe proportionem. Medium enim inter hæc duo ſunt ſpiritus anima-

Principia ex quibus noſtra demonſtratio ducitur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [39] - 33
PUBLIC DOMAIN

les,* ſubtiliores aut ſubtiliſſimi, qui ad nutum voluntatis agitantur & moventur, poſito, quod in ſtatu naturali, non vero præternaturali conſtituti ſint, & quod cogitatio ſeu propoſitum movendi ſpiritus animales, firmum & efficax exiſtat. *Tertium eſt:* Tanta, ſi non major, eſt ſubtilitas aëris tenuiſſimi, aut ætheris, qui Carteſio materia primi elementi vocatur,** quanta ſpirituum animalium in corpore humano. Quia, ſi Spiritus animales in corpore humano ſunt materiales, ſubtiliorem materiam, ex qua componuntur, habere nequeunt, quam aërem aut æthera; nulla enim materia primo elemento ſubtilior in rerum natura habetur, ſed eſt omnium ſubtiliſſima. *Quartum eſt:* Spiritus eſt Ens reale, & proinde plus quam nihil, h. e. vera ac ſolida ſubſtantia; quæ proinde deſiderando, volendo, & intelligendo effectus reales edere poteſt. Alias enim ſpiritus, anima & cogitatio nihil, aut mortuum, & plane inefficax quid forent, quod eſt abſurdum.

§. 26. Ex his principiis oſtendi nunc poteſt, quomodo & quales Ope-

---

* Hodie nonnulli Medicorum putant, Spiritus animales eſſe mediæ naturæ aut ex materia non ſubtiliſſima primi elementi, ſed ſubtili ſecundi Carteſiani elementi compoſitos. Ratio ipſorum eſt, quia materiæ ſubtiliſſimæ omnia ſunt pervia ob ſubtilitatem, adeoque hæc materia nullum motum ciere poſſet, ſed omnia pervaderet in corpore ſubtilitate, ut ne motus commode imprimi materiæ craſſiori valeret. Sed materia ſubtilis ſecundi Elementi Carteſiani, aliquantisper craſſior eſt, hinc & contingi & moveri ab alio, & ipſa itorum alteri rei, uti ſanguini, motum imprimere apta eſt. *Vid.* Jac. Rohaulti Tr. Phyſ. Lib. 4. c. 7. *Joh. Craanen Tr. de Homine & Conſ. Excell. Dn. D. Bohnii noſtri Circulus Anatomicus Phyſiolog. Progymn. XIX. p. 308. 318.* ubi Spiritus animales eſſe aëreæ Naturæ, & aëris partes inſpiratas conſtituere ſtatuit. Quomodo producantur Spiritus animales in Cerebro, explicat Carteſius de *Paſſion. p. 1. art. X.* Quomodo Spirituum animalium in cerebro ac ſanguine fiat ſecretio, explicatur de Homine *p. 1. §. 12. p. m. 21.* quod ſint principium motus *p. 2. §. 14.* qua ratione in nervos deducantur *§. 91.* Quicquid horum ſit, ad noſtrum Inſtitutum apprime quadrant.

** De materia primi Elementi egit *Carteſius p. 3. Princip §. 69. ſeq. Opp. p. 63. edit. Francof.* de tribus elementis & eorum origine *Princip. p. 3. §. 47. ſeq.* de celeritate motus *l. c. §. 87. ſeq.* Ad ſingula loca videri poſſunt Notæ *Ludov. de la Forge*, quæ in *Ed. Opp. Francof.* extant. *Joh. Clauberg.* autem in phyſ. contracta *c. 13.* de tribus mundi Elem. agit, & quod ad triplex rerum genus referantur, ſeptem atgumentis demonſtravit. § autem 441. materiam primi elementi deſcripſit. *Ant. le Grand*, fideliſſimus Carteſianæ Philoſophiæ Interpres, Inſtitutionibus ſecundum principia D. Renati des Cartes *p. 4. a. 7. p. m. 176. Ed. Lond.* pariter agit de triplici genere materiæ, & quod plura tribus non ſint mundi elementa, adſtruit, quæ tamen in præſenti demonſtratione, ut, veluti noſtra, firmemus, neceſſe non eſt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [40] - 34
PUBLIC DOMAIN

Operationes ab una re in alteram proficiſcantur, & quænam non proficiſcantur. Verum quia noſtrum hac vice tantum eſt, exiſtentiam Spectrorum probare, quod fieri commode nequit, niſi prius Spiritum operari poſſe in materiam demonſtretur, unica hac demonſtratione contenti erimus, nimirum quod Spiritus ſeparatus operetur, aut operari aut agere poſſit in materiam. Argumentum eſt tale: *Si anima cogitans, aut voluntas in homine* (quæ *in Diſſert. ad Poiretum § 3. Hyp 1.* ψυχὴ Spiritus vocatur, quem homo cum aliis creaturis ſublunaribus potiſſimum communem habet; & per §. 5. gradu tantum differt a reliquis creaturis; per § 28. corporeis rebus & aſtris ſubjicitur; per §. 26. poſt mortem redit ad Spiritum magneticum terræ, uti anima beſtiarum, & contradiſtinguitur ſpiritui divino in homine. Licet alii aliter hic philoſophentur, quod nos diſcutere nolumus, quia nihil inde ſententiæ noſtræ decedit.) *Spiritibus animalibus & conſequenter toti corpori motum poteſt inprimere, & in illud agere aut operari; ſequitur, quod Spiritus etiam ſeparatus v. g. Diabolus per aërem agere & operari poſſit in materiam & corpus.* Connexio probatur, quia parium par eſt ratio * quod per ſe ſatis evidens eſt. Sunt autem hoc loco pares & omnia paria, nam 1) in anima eſt cogitatio & voluntas; in ſpiritu etiam

Demonſtratio, quod Diabolus operari poſſit in materiam.

* Aliqui ex Medicis animam hominis rationalem materialem eſſe docent, quia concipere non poſſunt, quomodo alias in materiam agere valeat, dicunque, ipſi materiæ, tanquam accidens inſeparabile cogitationem fuiſſe additam; aſt, ut taceamus, demonſtraſſe nos heic quomodo hoc fieri poſſit, itemque, quod haut difficilius fuerit Creatori materiam potentiis immaterialibus inſtruere, quam animam ipſam totam immaterialem condere. *Conf. B. D. Petermanni Diſp. Phyſiol 4ta.* Hæc omnia tamen nos non ſtringunt, cum de anima cogitante aut ejus cogitatione & voluntate, quas ſive quis pro accidenti illius inſeparabili immateriali ſeu pro ipſa ejus eſſentia habere velit, eadem nobis ſunt. Imo ſi & ipſi Spiritus ſeparati pro materialibus reputarentur, cum multis priſcis Philoſophis, nec paucis Patrum, veluti Tertullianus, Macarius, Baſilius, Origenes, Gregorius, Auguſtinus, atque inſuper, Iſidorus, Mercurius Trismegiſtus, Petr. Lombardus, fecere, aliique, qui tamen cum Tertulliano intellexerunt materiam, non tam craſſam, uti alia corpora, ſed realem ſubtiliſſimam, & crediderunt, Angelos eſſe aut tenuiſſima & ætherea corpora, aut iis ſaltem indutos: tanto facilior nobis foret demonſtratio, quod dæmon, per vim intellectus ſui & ſcientiæ in naturalibus, tanquam Spiritus materialis condenſare facili negotio poſſit cohærentem ſibi materiam realem ſubtiliſſimam, adeoque ſub forma viſibili hominibus comparere, ita, ut omnia hæc aliaque, quam heterodoxa demum ea ſint, heic ad nos nihil attineant. Junge docti Theologi, Jo. Muſæi *Diſput. Theol part. 1. Diſp. 6.* de Angelis §. 6. ubi Patrum loca, Origenis, Tertulliani, Lactantii, Auguſtini, Caſſiani, Damaſceni & *Græcorum* ac *Latinorum* Scriptorum, citat, qui corpulentiam angelis tribuant.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [41] - 35
PUBLIC DOMAIN

iam eſt cogitatio & voluntas. 2) Habent par medium, proportionem aut ſimilitudinem ad operandum. Anima cogitans ſive voluntas pro medio operandi in corpus habet Spiritus animales; ſpiritus ſeparatus pro medio idem habet, nempe aërem, quæ ejusdem, quam Spiritus animales, eſt naturæ & ſubtilitatis, uti *principium III.* § *præced.* probat. Quæ autem connexionem aut ſimilitudinem per medium inter ſe habent, in ſe invicem poſſunt operari & agere, quod patet ex *principio II.* licet ſint diverſæ naturæ. Nec obſtat, quod non concipi rite poſſit, quomodo Voluntas aut cogitatio moveat materiam. Nam ſpiritus cogitans aut ejus voluntas eſt Ens aliquod reale, ut claret ex *principio IV.* Ens autem reale reales etiam efficaciter volendo producet effectus, h. e. movebit Spiritus animales, aërem &c. licet nos propter ſubtilitatem operationis non poſſimus directe videre formam aut modum, quomodo ſeſe contingant, & in ſe agant ens cogitans & ſubtiliter extenſum. Satis eſt, quod effectus nobis manifeſtus & apertus ſit, uti in anima quisque deprehendere poteſt. 3) Tendunt ad unum effectum: Anima cogitans aut voluntas tendit ad movendam materiam, aut agendum in corpus, cum quo connexionem aut proportionem habet; Spiritus ſeparatus cogitans, aut ejus Voluntas, tendit ad movendam materiam, aut agendum in corpus, cum quo connexionem aut proportionem aliquam habet. Itaque quemadmodum anima cogitans aut volens movet, agit & operatur in materiam, ſic quoque aget, movebit & operabitur Spiritus ſeparatus in materiam. Scio, quod dubium in argumentatione propoſita videri queat: Ratiocinamur ab anima humana cogitante ad Spiritum ſeparatum. At anima humana cogitans cum ſpiritibus animalibus, & toti adeo corpori, motum imprimit, & in illud agit aut operatur, id facit in ſtatu unionis, & exequitur in materiam & corpus, ad quod ſingulari Dei voluntate conſilioque determinata eſt; idcirco dicitur Spiritus incompletus, & ſubſtantia in eſſendo incompleta, quia ad ſolidam hominis conſtitutionem anima & corpus requiruntur; in ſtatu ſeparationis conſiderata & a corpore ſejuncta in corpus non agit. Quicquid autem agit in corpus ſibi a Deo deſtinatum, id fit ob vinculum, cujus ratio inveſtigatu perdifficilis eſt. Spiritus contra ſeparatus, uti ad materiam non determinatur, ita completus eſt, neque adeo in materiam, qua cum ei nihil commercii intercedere Deus voluit, agendi capax. Sed nobis ſuffecerit, animam cogitantem perinde Spiritum eſſe. Agit quidem in corpus, quod Deus ad conſtitutionem hominis ordinavit ex ſingulari Dei voluntate, qui corpori eam præfecit. Exinde tamen conſtat, cum in materiam agat, ut Spiritus, Spiritus naturæ non repugnare, ut agat

in

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [42] - 36
PUBLIC DOMAIN

in corpus. Deus enim non vult, nec jubet, quæ ſunt contradictoria. Igitur ſi animæ cogitanti licet agere in corpus, Spiritui etiam ſeparato licebit. Id quod exemplo quoque ipſius Dei Angelorumque probatur, qui in ſacris literis ſæpe multumque hominibus ſub forma corporea apparuerunt. Anima vero, ubi e corpore exceſſit, in materiam agere non poteſt, quia non invenit materiam, ubi ab exceſſu verſatur. Etenim non entis nulla ſunt accidentia. Secus de diabolo pronunciandum eſt, qui princeps mundi in mundo omnia alia materialia & viſibilia invenit & agit, ut taceam, non eſſe abſurdum, animam etiam ſeparatam agere permiſſu divino in materialia poſſe.

Quod diabolus agere in corpus, illudque movere poſſit.

§. 27. Demonſtratum eſt in §. præced. ſpiritum ſeparatum poſſe movere & operari aut agere in materiam, ex quo, juſta conſecutionis lege, colligitur, ſpiritum ſeparatum poſſe aſſumere corpus. Argumentatio eſt talis: *Qui poteſt movere, agere & operari in materiam, ſi agens eſt ens intelligens, poteſt etiam movere, agere & operari in corpus*, quia materia & corpus, quod ad ſubſtantiam, idem ſunt, & differunt tantum, ut latius, quod eſt materia, & ſtrictius, quod eſt corpus compoſitum ex materia. Porro *qui poteſt, movere, agere & operari in corpus, is poteſt corpus aſſumere.* Τὸ enim aſſumere, ut ſuperius §. 7. *in fin.* & §. 19. explicatum eſt, accipitur pro actione aut operatione in corpus vel jam exiſtens; vel pro actione, qua ex materia quadam corpus condenſatur aut componitur. Proinde qui varie movere, agere & operari poteſt in materiam, is componet, dividet, & condenſabit materiam, ut corpus exhibeat, & in illo operationes ſuas, quas volet, pro diſpoſitione corporis formati edere poterit.

Quod diabolus ungulas, cornua aut aliam formam induere poſſit, cum monito.

§. 28. Non difficile porro probatu eſt, diabolum poſſe induere cornua, ungulas, ungves, aut forma quadam alia ſe conſpiciendum præbere, quod ſuperius ab Adverſario noſtro negabatur §. 18. Colligimus contra hanc ſententiam hunc in modum: *Qui corpus poteſt aſſumere, etiam cornua, ungulas, aut aliam formam poteſt aſſumere.* Nam cornua, ungulæ &c. ſunt pars corporis, & qui aſſumere poteſt totum, facile etiam partem aſſumere valebit. Sed ſpiritus ſeparatus poteſt aſſumere corpus, uti §. præcedente probatum eſt; quare etiam cornua, ungulas, aut aliam formam aſſumet, aut corpus animabit. Diſputamus autem hoc loco, quid diabolus facere poſſit, ſed haut inviti concedimus, multas fraudes, impoſturas, & ſenſuum deceptiones ex hominum, quorum imaginatio corrupta eſt, imbecillitate & phantaſia ſeſe ingerere, adeoque rite verum a falſo, inſti-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [43] - 37
PUBLIC DOMAIN

tuta legitima inquisitione secernendum est. Videatur hanc in rem elegantissime Deusingius, Medicus, in fascic. Disp. Dissertatione de Lycanthropia. Quemadmodum enim, quod multi perperam vident, aut ictero suffuso oculo omnia flava apparent, non sequitur, neminem hominum recte videre, aut omnes colores omnibus flavos apparere; ita etiam hoc loco, quia multi, imaginatione corrupta, sibi diabolum adstare falso fingunt, non tamen propterea dicendum est, alios ipsum nunquam vel conspicere posse, vel diabolum se nunquam in assumta forma aut condensata materia, vel saltem umbra, conspiciendum forma visibili exhibere posse.

Quod dentur spectra.

§. 29. Eadem opera & veluti continuo nexu probabimus dari spectra, cujus rei gratia priora omnia a nobis allata sunt. Demonstratio nostra hæc est: *Qui potest induere varias figuras, v. g. ungulas, cornua, aut aliam speciem, is quoque terrere potest homines.* Consequentia est manifestissima, quia ex definitione §. 4. constat, quod spectra nihil aliud sint, quam formæ aut apparitiones externæ, quas diabolus assumsit, ut homines exterreat, aut aliis rebus immineat. Hinc eo ipso, dum varias figuras externas diabolus assumsit, spectra exhibet, iisque homines exterret. Sed diabolus potest induere varias figuras externas & species visibiles, uti §. præc. ostendit, Ergo spectris terrere potest homines, ac proinde *dantur spectra.* Hoc argumentum ex ratione desumtum est, & tamdiu perstabit, donec contra superius adducta principia demonstretur, spiritum, eumque vel Deum ipsum aut Angelum, operari non posse in materiam.

Dantur Magi, Sagæ & Lamiæ.

§. 30. Ex iisdem principiis evidenter sequitur, *dari Magos, sagas & lamias*, & tales, qui cum diabolo pactum expressum, etiam visibili forma, contrahunt, aut contrahere possunt. Namque ex parte hominis nullum plane dubium est, quin consignare quippiam calamo & sanguine possit, atque se hoc modo alicui obstringere. Ex parte vero diaboli demonstratum est §. 27. quod possit assumere corpus, eo modo, quo §. 19. & 7. in fine explicatum est. Itaque cum homo se possit signis externis alicui obstringere; diabolus autem corpus assumere, & per consequens visibili forma ab aliquo exigere quippiam, sequitur ut concludamus, dari ejusmodi homines, qui sese pacto explicito diabolo, visibiliter apparenti, obstringere possint, quos Magorum, Strigarum aut Lamiarum nomine appellare solemus. Quanquam *Godelmannus* distinctionem aliquam inter hos constituat, ut in historiis a nobis notatum est infra.

§. 31.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [44] - 38
PUBLIC DOMAIN

§. 31. Satisfeciſſe igitur nos vel hac ſola demonſtratione (cum non numero, ſed ſoliditate potius argumentorum pugnandum ſit,) arbitramur poſtulato *Beckeri* in der bezauberten Welt *l. 3. c. 3. §. 2.* & qui ejus methodo inſiſtit *Viri docti §. 13. d. diſput.* dum uterque contendit, quoniam nos affirmamus, dari operationem ſpirituum in corpora, & quod huic conſequens eſt, etiam ſpectra, ipſi autem negant; nobis inprimis incumbere, ut theſin noſtram probemus, non ipſis, qui negant, quod niſi fecerimus, futurum, ut non ipſi, ſed nos cauſa cadamus. Cum enim hæc, quæ vulgo traduntur, de operationibus dæmonum & ſpectris, in facto conſiſtant; facta autem non præſumantur, niſi clariſſima ſint, aut accidiſſe clariſſime probentur; putant, etiamſi pro negante nulla afferretur ratio; tamen, ſi a Judice etiam indoctiſſimo pronunciaretur ſententia, negantes eſſe, abſolvendos. Quod uti concedimus; ita noſtris non defuiſſe partibus in probando, ex allata demonſtratione conſtabit.

Satisfecimus probationi noſtra petito adverſarii.

§. 32. Naturam ergo & rationem cuique homini propriam ſequuti, inhærere minime voluimus argumentis a ICtis aut Theologis vulgo afferri ſolitis. Quare ſi *Carpzovius*, quem ex præjudicio minus ſtringentes hominem accurate inquirentem rationes hoc loco dediſſe ingenue concedemus, nullum plane firmum attulit argumentum pro Magiæ exiſtentia; aut, ſi *Spizelius*, vel Theologorum alius quiſpiam, argumenta, quæ minus ſolida ſunt, adduxit, quod utrumque nos non præfracte negabimus, noſtrum non erit, pro ipſis reſpondere. Faciant hoc illi, qui humanæ autoritati ſic innituntur, ut neque Carpzovium errare, neque Spizelium falli poſſe, ſibi perſuadeant, & quorum refert, ut Carpzovium & Spizelium, aut ſi qui alii in hac controverſia aliquid ediderunt, ſolida ſemper & vera docuiſſe omnibus ingenii nervis defendant. Quo labore nos vacare poſſumus, qui veris demonſtrationibus & rationum pondere ducimur, minime omnium ſolliciti, quam bene aut male quiſpiam rem, quam probandam ſuſcepit, demonſtraverit, utut negare non poſſimus, parcius & modeſtius quandoque de Viris, qui tot tantisque meritis præ aliis claruerunt, ſcribi debere.

Non defendimus lapſus Carpzovii, Spizelii, aliorumque.

§. 33. Pari ratione etiam dimittimus illa argumenta, quæ alias pro exiſtentia Spectrorum, ex actis publicis, indiciorum loco, vulgo urgeri ſolent vel poſſunt, contra quæ inſigniter ſe geſſit in peculiari diſſertatione de fallacibus indiciis Magiæ Vir eruditione clarus *Dn. Henricus Bodinus*, Halæ Magd. Anno 1701. habita. Inter reliqua etiam argumenta eſt illud, quod temerarium ſit omnibus hominibus, inprimis vero iis, de quibus conſtat,

Non urgemus argumentum ab experientia fida & circumſpecta.

conſtat, quod rectæ rationis indicio, mentis robore & circumſpecta prudentia utantur, in dijudicandis rebus ſibi oblatis, velle aſſeverationis ipſorũ veritatem denegare. „ Graviter diſſerit *Philoſophia Burgundica*, quod ne„mo, niſi inſanire velit, innumera pene, quæ hiſtoriarum monumentis ſunt „ conſignata, uti Pharſalicam pugnam, aut quæ in diſſitis regionibus obſer„vata, & omnium conſenſione recepta ſunt, in dubium revocarit. Sic ne„mo, niſi itidem pertinax, quæ de Magorum maleficiis & energumenis, aut „ oraculis, aut ſpectris a ſummis Viris tradita ſunt, ut commentitia & ficta „ condemnaverit. Præſertim cum in rerum geſtarũ fide & doctrina, & inge„nii perſpicacia, & morum probitate præcellentium teſtimonio, cum de re„bus a ſe viſis teſtantur, potius credi oporteat, quam perpaucis hominibus, „ qui negant, quippiam a ſe viſum aut comprehenſum, quodque tacito „ omnium conſenſu receptum, præſertim ubi de rerum, quæ in vita ho„minum poſitæ ſunt, exiſtentia agitur, atq; omnia Veritatis indicia ſe pro„dunt, in dubium revocari non poteſt. Exemplum ex Gallo Autore, quos imitandos eſſe in Programmate publico inculcat Celeberr. Præſes Diſſert. de Crim. Mag. hic curioſitatis magis gratia, quam ut aliquam illuſtrationem inde argumento noſtro conciliare velimus, legendum ſuademus in Commentariis Rochefortii, p. 425. *Henricus Morus* parallelum plane ex Baronio refert exemplum, *Opp. t. 2 p. 382. c. 16.* ubi de immortalitate animæ agit. Ac cum defuturi forte non ſint lectores, qui vidiſſe ſeſe teſtabuntur, publico certe judicio id conſtare videatur, revocabo tantum in memoriam celebre ſpectrum, albæ fœminæ inſignitum nomine, quod inſtante obitu Sereniſſ. Marchionum Brandenburg. virilis pariter ac ſequioris ſexus, conſpiciendum ſe præbet. Quod in oratione funebri Johannis Sigismundi, Marchionis Brandenburgici, Electoris nominis hujus filii, D. Joh. Georgius Bergius extra dubitationem ponit: S. Fürſtl. Gnaden fragten endlich / ob man auch die weiſſe Frau wieder geſehen? und zwar / es hatte nicht allein dieſelben Tage / ſondern auch die gantze Zeit her / in welcher der höchſte GOtt das Hauß Brandenburg mit ſo manchen Todes-Fällen heimgeſucht / ein ſolch Geſicht in leidtragender weiſſer Geſtalt auf dem Churfürſtl. Hauſe zu unterſchiedlichen mahlen allerhand Standes und Alters / auch Fürſtl. Perſonen / jedoch ohne ſchädliches Schrecken / oder jemands Verletzung / ſich ſehen laſſen / alſo / daß man nicht mehr daran zu zweiffeln / wiewol auch unter dem gemeinen Mann viel darzu gedichtet / und hin und wieder ohne Grund ſpargiret worden. Cetera prætermitto, quæ memorat Bohuslaus Balbinus, *Decad. 1. Miſcell. Hiſt. Bohem. L. III. c. 19. §. 3. f. 220.* &

tot

tot alii. Inter quos tamen reticeri non potest doctissimus Jo. Alb. Fabricius, qui Kiliæ sub præsidio Dn. D. Joh. Frid. Mayeri, Anno 1699. Exercitationem Theologicam Inauguralem habuit de recordatione animæ humanæ post fata superstitis, quam Programmate cohonestavit prælaudatus modo Dn. Mayerus, in quibus utrinque eximiæ hanc in rem rationes & exempla commemorantur. Quod a Cardano de rerum varietate *libr. 16. c. 93.* recensetur, sit penes eum fides ejus. Facius nimirum Cardanus, Hieronymi Cardani pater, dæmonem æthereum, ut ipse dicebat, diu familiarem habuit, qui, quamdiu conjuratione usus est, vera illi dabat responsa, cum autem illam excussisset, veniebat quidem, sed responsa falsa dabat. Tenuit igitur annis viginti octo cum conjuratione, solutum autem circiter quinque. Dum adstrictus esset, commodum se satis exhibebat; neque solus semper, licet plerumque; sed aliquando etiam cum sociis veniebat. Vid. *Magic. s. mirabilia hist. de spectr. & appar. Spir. Lib. II. Isleb. 1597.* cura, typis & sumtibus Henningi Grosii, Bibliop. Lipsi. Licet ergo fatui quidam, timidi & imperiti falsa quandoque de spectrorum appartionibus retulerint, constat tamen, neminem hominum rerum omnium experientiam consequi posse. Quare si nihil admittendum est aut credendum, quod quisque experiendo non vidit, negabitur a plerisque, Indiam Orientalem & Occidentalem habitari ab hominibus, dari pisces volatiles & cætera monstra marina navigantibus occurrere, imo omnis historiarum fides concidet, quoniam pauciissimi res istas sensibus suis perceperunt, plurima etiam fabulosa veris narrationibus immiscentur. Ridebitur tamen ejusmodi Philosophus domi considens a nautis & peregrinantibus, qui tanquam infans de iis tantum fari novit, quæ capit, & in materna domo aut civitate conspexit; cætera vero omnia pro falsis & absurdis habet, quæ aliis, quibus major lustrandi orbem copia contigit, quotidiana & certissima Experientia perspecta sunt. Attinet huc, quod circumspecte pronunciat eadem *Philosophia Burgundica*, atque, ut alibi innuimus, „id rectus rationis usus exigit, ut infinitis prope rebus, quas ex hominum relatione accepimus, fidem habeamus: cum magna pars cognitionis nostræ ex„ hoc veluti fonte dimanet. Quanquam ne in diversum nimia credulitate „ peccemus, cavendum est. Sed illud deformis pertinaciæ est argumentum, „ cum iis, quæ oculati testes sanctitate & doctrina præcellentes publice fa„ cta referant, fidem detrahimus, non alia persuasi ratione, quam quod sint„ insolita & præter consuetum naturæ ordinem. Neque illud ab instituto „ nostro alienum est, quod consequitur. Atque haud scio, an dæmones„

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [47] - 41
PUBLIC DOMAIN

„aut magorum præſtigiæ, aut energumeni in animum cujusquam venire „potuiſſent, ſi nihil ex iis omnibus unquam extitiſſet, nedum id omnium æta„tum teſtimoniis & conſenſu eſſet approbatum, *Metaphyſ. Tr. III. Append.* „*p. m. 534.*

Nec Theologicis nitimur probationibus neque ex Scriptura Sacra.

§. 34. Neque etiam pugnabimus argumentis Theologicis ex Sacra Scriptura depromtis; inter quæ notiſſima ſunt, quæ de ſpectro Endoreo Samuelis ex 1. Sam. XXVIII, 7. ſeq. & de tentatione Chriſti Matth. IV. v. 1. ſeq. afferri ſolent. Non enim animus nobis fuit, ad ſacra decurrere cum Philoſopho, qui in ratione hactenus acquieſcere maluit, præcipue cum firmiter perſuaſi ſimus, temere ab adverſariis Veteris Teſtamenti loca evolvi, cum fontes Hebraicos adeo exacte nobiſcum non intelligant. Cætera quæ ex doctrinis Scripturarũ deduci ſolent, Theologi, quos hæc res propius tangit, uti ipſorum exigit officium, ſatis ſolide oſtendent. Ut reliquos taceamus, ii evolvantur, quos hanc in rem nominant *Dn. D. Ægidius Strauchius* in Samuele perſonato, Gedani anno 1681. evulgato; & Dn. Johannes Franciſcus Buddæus (qui potius eſt Dn. D. Joachimus Juſtus Breithaupt iſtius tunc temporis Prorectoris loco ſtylum moderatus,) in Programmate Halæ Magd. 1701. publicato. Optandum præterea foret, ut, ſi non majori, eadem ſaltem ſcribendi modeſtia controverſiæ hæ ab omnibus, & præcipue ab iis, qui Chriſtiani Philoſophi nomen ſuſcipere volunt, agitatæ fuiſſent aut agitarentur, quam quidem a Beckero factum eſt, qui ſeductionem a Diabolo per ſerpentem in Paradiſo factam expreſſe non negat, ſed dubitationes ſaltem ſuas de ſenſu & explicatione loci, quæ circa eum & hanc in rem ipſi ſunt enata, profert, non alio fine, quam ut locus hic ſuæ demonſtrationi non objiciatur, ſed ſolum tanquam dubius ſeponatur. De tentatione autem Chriſti nunquam dicere auſus eſt tam procaciter & ſarcaſtice, uti in diſputatione §. 30. habetur, convenire prius interpretes debere de intellectu hiſtoriæ, utrum per imaginationem Chriſti vigilantis, utrum per ſomnium dormientis tentatio illa facta ſit, an vero per hominem impoſtorem? Sed nos, uti monuimus, ab hiſce controverſiis atque difficultate explicationum merito abſtinemus, atque Theologis iſthæc omnia excutienda relinquimus. Interea lectu digniſſimus eſt locus penes Lucam c. XXIV. 37. ubi in hiſtoria Evangelica dicitur, quod diſcipuli exiſtimaverint, ſe videre ſpiritum aut ſpectrum, (in Græco enim non legitur, uti apud Matth. XIV, 16. & Marc. VI, 49. vox φάντασμα, quod adverſarii ibidem captant, ſed πνεῦμα, quod Lutherus vertit, einen (Geiſt/) cum Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam ſe ipſis conſpiciendum præberet. Et in originali quidem textu porro habetur θεωρεῖν, quod intueri aut contempla-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [48] - 42
PUBLIC DOMAIN

templari significat. Quoniam vero purus spiritus oculis corporeis considerari nequit, hinc existimabant discipuli, spiritum aliquem assumsisse formam aliquam externam, atque in ista apparere, ut ipsum sub forma aut specie Servatoris intueri aut contemplari possent. Ex quo constat, credidisse discipulos Christi apparitionem Spectrorum, & quidem ejusmodi Spectrorum, ubi Spiritus assumsit corpus aut speciem corporis, quæ in oculos ipsorum incurrere potuit.

§. 35. Verum ne hoc quidem testimonium, licet valde sit perspicuum, in confirmationem nostræ sententiæ ob rationem κατ' ἄνθρωπον superius adductam afferemus; adeoque nullum prorsus præsidium ex alienis castris, & quod quæstioni præjudiciali de μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος ansam dare posset, nobis comparare studebimus.

De argumentis κατ' ἄνθρωπον ex hypothesibus Viri Celeberrimi. Primum.

§. 36. His ita sese habentibus, uti quoque possemus ultimo loco argumentis ex propria hypothesi & verbis Celeberrimi Præsidis desumptis. Verum, quoniam demonstrationi sic dictæ κατ' ἄνθρωπον non inhærere animus est, obiter tantum eam attingimus. Statuit nimirum Celeberrimus Præses §. 7. sæpius citatæ disputationis, compelli omnino Philosophiæ corpuscularis & mechanicæ asseclas, ut secundum hypotheses suas a Beckeri principiis & conclusionibus serio dissentire non possint, quomodo autem ipse hoc facere queat, explicat. Verba ipsius sequentia hæc sunt l. c. *At nos, qui Philosophiam antiquissimam spiritualem sequimur, non solum credimus, sed & aliquo modo scimus, diabolum esse Principem tenebrarum & aëris, h. e. substantiam spiritualem seu invisibilem spirituali seu invisibili modo, mediante aëre & corpusculis naturalibus aqueis, aut terrestribus operantem in hominibus improbis.* Ex quo aperta consecutione deduci potest, Spiritum operari in corpora & corpus assumere posse. Nam qui tanquam Princeps aëris & tenebrarum mediante aëre aut corpusculis naturalibus aëreis aut terrestribus operari potest in improbis, uti nobis conceditur; is etiam, & vel primo loco operatur in corpuscula naturalia, aquea, terrestria aut aërea. Per quod enim quis tanquam instrumentum aut medium operatur, in illud medium idem prius operatur, quam in eum improbum, in quo ultima operatio terminatur. Itaque diabolus potest operari in corpora. Ex quo porro consequitur, quod, qui operari potest in corpora aut materiam, is etiam corpus aut materiam animando, condensando, aut alio modo sibi adaptare potis est, ut in illo operationes suas perficiat. Hoc enim nos vocamus corpus assumere, *v.* §. 7. *in fin.* & §. 19. Itaque diabolus assumere potest corpus. Et qui operari in corpus, &

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [49] - 43
PUBLIC DOMAIN

illud ſibi aſſumere valet, is quoque partem corporis v. g. manum, unguem digitum, aut, ſi vis, ungulam aut cornua aſſumere poteſt. Unde manifeſtum eſt, negandam plane eſſe operationem Spiritus in materiam, a qua ſententia tamen alieni eſſe volunt Dominus Præſes & Auctor Theſium de Crimine Magiæ, uti ex adductis eorundem verbis apparet, aut alioquin ſibi contradicunt, vel concedendum erit, Spiritum aſſumere corpora aut partes corporis, & multo adhuc facilius umbras & ſpectra viſibilia excitare poſſe, ac proinde dari Magiam & effectus magicos, h. e. tales, qui a diabolo in corporibus aut materia viſibili ratione peragantur, in quorum numero Spectra etiam locum occupant.

Secundum. §. 37. Clarius adhuc & fere compendioſius urgeri poteſt argumentum ex definitione Spiritus Viri Celeberrimi contra ipſum. Statuit enim, vel potius definit, im Verſuch vom Weſen des Geiſtes / *c. 4. §. 56. §. 70. ſpiritum eſſe vim, h. e. ens, quod citra materiam conſiſtere poteſt, in quo omnes res materiales moventur, quod ipſis motum largitur, materiam expandit, dividit, comprimit, attrahit, repellit, frigefacit, penetrat, & verbo, in eam operatur, ipſique debitam formam largitur. C. 4. §. 26.* ſtatuit omne illud, *quod in materia operatur eſſe ſpiritum.* Similiter in ſcripto contra *Doct. Hoffmannum*, ubi præcipue fundamenta hypotheſeos ſuperius commemoratæ Philoſophiæ Fluddio-Comenianæ, itemque Henrici Mori, aut potius antiquiſſimæ Moſaicæ, traduntur, antitheſi 23. 24. hic ſpiritus homini omnibusque rebus conceditur, juncto cap. 7. vom Weſen des Geiſtes. Itaque ſi ſpiritus ex ſententia Viri Celeberrimi ejusmodi vim habet, materiam ſcil. movendi, dividendi, comprimendi, formam ipſi largiendi &c. ſubſumemus jam, diabolum eſſe ſpiritum, quod ab Adverſantibus non negatur, eumque multo ingenioſiorem & ſagaciorem iſto mundi ſpiritu univerſali. *Nec locum habet exceptio, ſpiritum mundi univerſalem operari, condenſare, & formam materiæ largiri poſſe, non vero diabolum. Nam diabolus eſſe conceditur princeps aëris, & qui imperium habet in ſpiritum mundi corruptum, inque ipſum operari poteſt. Hinc major, vel certe eadem diabolo, quam ſpiritui mundi, operandi potentia, & formam materiæ largiendi vis concedenda eſt.* Ac proinde ex conceſſis concludamus, diabolum poſſe materiam movere, expandere, dividere, comprimere, attrahere, eique formam largiri, &c. qui iſtud facere poteſt, facili negotio corpus aſſumere valebit; nam corpus aſſumere nihil aliud eſt, quam materiam expandere, comprimere, attrahere, ei formam aliquam largiri, &c. Qui vero corpus aſſumere potens eſt, multo facilius partem corporis, uti caput, ungulam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [50] - 44
PUBLIC DOMAIN

lam &c. assumere potest, aut umbris condensatis homines terrere, quod nos spectra appellamus.

§. 38. Porro adductus est locus Viri Celeberrimi p. 73. §. 19. in quo statuit, homines in statu bestialitatis, ut ipse appellat, constitutos adeo diaboli Imperio esse subjectos, ut etiam citra contractum aut pactum ipsis imperet, eosque ipso diabolo evadere nequiores. Quod quanquam explicari possit de Imperio in ipsorum animas, hoc ipso tamen concesso, consequitur etiam, diabolum in corpora operari posse. Namque si diabolus in improborum animos habet imperium, ut eidem obedire cogantur, ad quod ipsos instigaverit, facile eorum animis imperabit, ut animus harum, quas ipse nominat, bestiarum operetur in corpus aut materiam. Cujus tamen operationis causa & primarius fons est ipse diabolus, cum isto tantum discrimine, ut operatio hæc in corpora mediate saltem procedat. Recte vero operari dicitur in aliquam materiam, rem & corpus etiam is, qui mediate operationem peragit, uti faber lignarius, lignum aliquod secans, recte dicitur operari in illud, quoniam principaliter actio ab ipso procedit, licet illud mediante serra aut securi fiat. Itaque diabolus mediate operabitur in corpus aut partem corporis, & si operatur in corpus, effectus visibiles & in sensus incurrentes producet. Quapropter & corporales diaboli operationes, apparitiones & spectrorum existentiæ ex propriis Præsidis Celeberrimi & Auctoris Thesium de Crimine Magiæ a nobis demonstratæ sunt; uti satis perspicue ex duobus præcedentibus §. 36. 37. adductis argumentis intelligi potest. Tertio enim, quoniam operationes immediatæ concedi videntur, non insistemus, quippe quod tantum obiter adducere voluimus.

Tertium obiter adducitur.

§. 39. Quod reliquum est, cum ea, quæ ad Historiam de spectris & Magia, Doctorumque consensum & dissensum circa hæc cognoscendum pertinent, non executus sit thesium Inaugur. de Crim. Magiæ Autor, quæ tamen ad illustrationem argumenti plurimum faciunt: ista, quæ sequuntur de hoc subjiciemus, optantes, ut perfectiora, quæ passim in nominata Disputatione promittuntur, publico exhibeantur propediem.

Cur historia subjiciatur.

Qui de Philosophia abdita, ad quam nostra de Magis & spectris doctrina pertinet, quicquam tradiderunt, primi omnium citra dubium *Orientales*, & Philosophi extra Græciam fuere. Eo nomine commemorandus est *Zoroastres*, quem unum fuisse contra communem opinionem contendit *Goropius Becanus*, *Franciscus* enim *Patricius*, *Naudæus & Kircherus*, Arnobium contra gentes quatuor Zoroastres commemorare contendunt,

Sententia Orientalium Philosophorum de Magia & Spectris, atq; inter eos quidem Zoroastris.

dunt, qui tamen ſecundum *Salmaſii* Lectionem *Exerc. Plin. pag. 335.* ad tres reducuntur. Diviſit Zoroaſtres naturas in *æternas*, in æviternas, ſive eas, *quæ initium habent*, ſed fine carituræ ſunt, & *perituras*. Naturam æternam vocavit Deum, quem Magi, corpore ſimilem eſſe luci, animo veritati, Pythagoram docebant, qui tanquam Φῶς καὶ πῦρ intellectuale lumen & ignem ſuum diffundit in incorporeas naturas. Sub quibus innumeri Dii, Angeli, boni Dæmones, & mentes hominum continentur. Naturis æviternis, Deorum genus & mentes hominum Zoroaſtres annumerat. *Phleto* has naturas hoc ordine collocat, ut ſint intelligibiles & intellectuales; Intellectuales fontes; Hyperarchii vel principia; Azoni Dii; Zonæi Dii; Dæmones animi. Ajebant Chaldæi, haſce omnes naturas lucem eſſe, Dæmones malos tenebras. *Pſellus* in Dialogo de operationibus Dæmonum, ex Marco quodam Chaldaicis ritibus addicto didicerat, Dæmones variorum eſſe generum, cum, quod ad eorum formas, tum quod ad corpora attinet, & tanto numero, ut iis aër ſupra nos poſitus, terra & maria, & ſinus abditiſſimi refertı ſint. Eſſe vero ſex præcipua genera. *Primum* leliurium, hoc eſt, igneum. *Secundum* per aërem nobis contiguum vagatur aëreumque dicitur. *Tertium* terreſtre. *Quartum* aqueum. *Quintum* ſubterraneum. *Sextum* Lucifugum & terribile. Hinc deſcendit Magicarum operationum apud ipſos ratio, & Theurgicorum rituum, quibus bonos Dæmones elici, malos autem expelli poſſe putant. Inde quoque apparitiones creditæ, quam in inſpectionem & conſpectum diviſerunt. Ex hoc cultus Deorum, Angelorum & Dæmonum eſt introductus, quæ pluribus expoſuit *Thomas Stanley*, in Hiſtoria Philoſophiæ orientalis, *Sect. II.* Itaque Zoroaſtrem Magiæ inventorem fuiſſe, & ſic inter Doctores convenire tradit *Plin. L. XXX. c. 1.* Autor autem recognitionum Petri Apoſtoli, ex translatione Ruffini Aquilejenſis latine editarum, *& quæ Græce non extare perhibentnr*, a *Chamo*, filio Noæ, ad Zoroaſtrem Magiæ diſciplinam tranſiiſſe docet. Hunc vero Meſraim, quem gentes Zoroaſtrem appellarunt, ab ipſo Dæmone, quem importunius frequentabat, igne ſuccenſo concrematum fuiſſe addit, ex quo tamen Divinitatis opinionem conſecutus ſit.

Sententia Hermetis Triſmegiſti.

Zoroaſtri jungendus eſt *Hermes* aut *Mercurius Trismegiſtus*. Sunt qui Hermetem Moſis tempore claruiſſe affirmant, tanquam a quo ipſe ſapientiam Ægyptiorum imbiberit. *Urſinus* tamen, Exercitatione de Zoroaſtre, Hermete & Sanchoniathone eam ſequitur opinionem, quaſi Trismegiſtus nunquam vixiſſet, cenſuram *Conringii* ideo expertus; ſed

Colber-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [52] - 46
PUBLIC DOMAIN

Colbergius extitiſſe quidem Hermetem putat, ſcripta autem, quæ ſub ejus nomine circumferuntur, multo eſſe juniora & ab homine haud ſanæ fidei veteris eccleſiæ collecta, rationibus aliquibus oſtendere nititur. *Auguſtinus*, de Civ. Dei L. VIII. c. 23. de Hermete docet, ipſum diſſentire ab Apulejo, qui dæmones medios inter Deos & homines poſuit, tanquam internuncios vel interpretes, qui hinc ferant petitiones hominum; Hermetem autem Ægyptium aſſerere, viſibilia & contrectabilia ſimulacra veluti corpora Deorum eſſe. His autem ineſſe quosdam ſpiritus invitatos, qui valeant aliquid ſive ad nocendum, ſive ad deſideria ipſorum nonnulla complenda, a quibus eis divini honores aut cultus obſequia deferantur. Quod *Oſiander* Tract. de Magia Th. 15. p. 21. interpretatur, quaſi Trismegiſtus neget, illos revera eſſe dæmones.

Quid Moſes & antiquiores Hebræi de operationibus dæmonum ſenſerint, ex Vet. Teſtamenti documentis, & vel ipſa creationis hiſtoria, cognoſcitur, ubi ſerpens introducitur, qui primos parentes ad lapſum ſollicitaverat. Sequior ætas apud Judæos plurimis fabulis doctrinam de diaboli natura & poteſtate involvit, uti ex Talmudicis traditionibus colligitur. *Philonem*, qui utplurimum Platonizat, docere ſcimus, aërem ſpiritibus eſſe repletum, quorum digniores corpora nusquam aſſumant, inferioris autem dignitatis, corpora induant. *Buxtorffius* in Synagoga cap. 21. 23. de Judæis refert, quomodo exiſtiment, ſe diabolum fallere, ne ipſos in judicio divino acuſare poſſit; ſed ſuppetere ipſis etiam oratiunculas ſimiliaque arma innuit, quibus adeo exterreatur diabolus, ut totus contremiſcat animumque deſpondeat. Verum iſthæc ſummam ſuperſtitionem & ignorantiam oſtendunt. Tempore Novi Teſtamenti de Sadducæis legimus Act. XXIII, 8. ipſos nec reſurrectionem, nec Angelos, nec ſpiritus admiſiſſe, (quod Binsfeldius probat, malleo malef. Prælud. 1.) cum per ſpectra ſolum intellexerint inſolita morborum genera & malos gravesque affectus, qui difficilius curentur. Videamus nunc, quid veteres Philoſophorum ſectæ circa dæmones ſtatuerint. *Hebræorum & Judæorum.*

Poëtæ & Mythica Theologia Philoſophis adhuc anteponenda eſt. *Homerus* poſt Orpheum ex horum numero facile vetuſtiſſimus eſt, quem haud dubie ſagas & lamias ſtatuiſſe ex iis, quæ de Circe ſatis prolixe commemorat, patet. Quamvis miretur *Plin. L. 20. c. 1.* cur in totius belli Trojani hiſtoria nullam magiæ fecerit mentionem, cum plena tamen ſit Ulyſſis navigatio artis nefariæ memoria. Ex ſequioribus *Virgilium* ſtatuiſſe, quod inhumatorum animæ terris oberrent, diſcitur ex Æneide 6, ubi Miſenus Æneam rogat: *Poëtarum.*

Eripe

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [53] - 47
PUBLIC DOMAIN

Eripe me his, invicte, malis & conde ſepulchro.

Ita enim apud inferos acceperat:

Sedibus hunc refer ante ſuis & conde ſepulchro.

Claudianus ideo Rufinum vituperat, de bello Sil.

Occidit Juvenes inhumataque corpora vulgo,
Diſpulit & tumulo cognatas arcuit umbras.

Et apud *Statium* L. 12. Theb. inhumane Ereo precatur:

Longos utinam addere ſenſus
Corporibus, cœloque animas Ereboque nocentes
Pellere fas, ipſumque feras ipſum una volucrum
Ora ſequor. - - -

Hinc ſententia orta de evocandis manibus, & apud priſcos piaculum erat, corpus ſepulturæ traditum nudare, ſedes defunctorum movere, ſepulchra violare. *Paulus JCtus L. 1. recept. ſent.* Ita vero inſepultorum animæ divagari credebantur, ut malis ſuis ingemiſcerent, quod copioſius exponit Gevartius ad 11. Silv. Carm. 1. & percuſſores perſequerentur, nec conquieſcerent prius, quam injurias acceptas ultæ aut humanæ victimæ ad tumulos cæſæ eſſent, ut liquet e Scholiaſte Statii ad Thebaid. *lib V. v. 312.* Claudiano de laudib. Stilic. *lib. 1.* Valerio Flacco *lib. 3. v. 378.* Jung. Liv. *Lib. III.* de Virginia, & de manibus Aug. Buchnerum ad Plin. Jun. *Epiſt. 27. Lib. VII.* Quod de infelicitate animarum, quæ corpore nondum ſepulto in terris divagarentur, priſcorum homines temporum ſibi perſvaſerunt, idem vulgo perſuadere & olim ſoliti ſunt, & noſtra memoria ſolent illi, qui mortuorum animas apparuiſſe, & miſerias ſortis ſuæ expoſuiſſe propinquis affirmant, quo deprecationes ſacræ ab iis mercede liberali conducantur, ſiquidem neceſſariorum animæ redimi velint. Vid. ſi tanti videbitur, Martinus Del Rio *p. 233. T. 1. Disquiſit. Mag. & Pexenfelder. Concion. Hiſtor. p. 331. P. 1.* Apud *Ovidium L. 2.* Faſtor. ſepulchra ideo floribus Menſe Februario ornabant, & mero ac thure parentabant defunctis:

Parva petunt manes, pietas pro divite grata
Munera, non avidos ſtyx habet ima Deos.

Genium autem & Dæmonem hominibus concedebant. De Dæmone Socratico *Horat.* canit *L. II. Ep. 2.*

Genius natale comes qui temperat aſtrum
Naturæ Deus humanæ.

Et Menander:

Ἅπανϛι Δαίμων ἀνδρὶ τῷ γενομένῳ
Ἅπανϛός ἐϛι μηϛάγωγος τοῦ βίου.

Apud

Apud Plutarchum de eodem Socratis Genio p. 580. *Opp.* Galaxidorus inquit:

Οὐδαμῶς τάγε θεῖα φασμάτων
Δὲ καὶ μύθων, καὶ δεισιδαιμονίας,
Ἀναπλέω φιλοσοφίαν ὑπὸ πυθαγόρᾳ
Ἐμπεδοκλέοις δεχαιμένοις, ἐῷ μάλα
Βεβακχευμένων, ἔθισεν ὥσπερ τὰ
Πράγματα πεπνύθαι, καὶ λόγῳ νή-
φοντι μεῖναι τὴν ἀλήθειαν.

Cum Socrates accepiſſet Philoſophiam ſpectris, fabulis & ſuperſtitione obſitam a Pythagora & Empedocle, & admodum bacchantem: ſobriam redegit veritatem, ſobriaque ratione in rebus eam intelligere docuit. Locis Poëtæ ſua quoque tribuebant Numina. Hinc de Troja Deorum præſidio primum orba *Petronius* Arbiter in Satyrico inquit:

Peritura perdidit primum Deos.

Sed ſatis de Poëtis.

Veterum Philoſophorum ſecta.

Ex Græcorum Philoſophia notæ ſunt tres præcipuæ Sectæ, Jonica, Italica, Eleatica. In *Jonica* Thales, Anaximander, Anaxagoras, Clacomenius, Argelaus, & ejus auditor, Socrates; In *Italica* Pythagoras, Pherecydis Syri auditor, Nigidius, Tigulus, Sextus, Empedocles, Plato; In Eleatica Xenophanes Colophonius, Parmenides, Leucippus, Meliſſus, Democritus Abderita, Protagoras imprimis claruerunt. Ex *Eleatica* maxime Epicurea fluxit, quemadmodum ex Socratis diſcipulis Cyrenaica, Eliaca & Megarica, Platonis Academia, Peripatetici, Cynici. Stoicorum auctor fuit Zeno Citticus, Scepticorum autem Pyrrho, & Sectæ Electivæ Potamon Alexandrinus, uti noſtro tempore, Carteſianæ Renatus des Cartes. Cum vero Antonini Pii tempore Philoſophia maxime floreret, Imperator libertatis Philoſophicæ terminos quatuor ſectis circumſcripſit, *Stoicorum*, *Platonica*, *Epicurea* & *Peripatetica*, unicuique ſectæ præmium æquale concedens, quod *Lucianus* in Eunucho ſingulis annis decem millia nummorum fuiſſe dicit, ut juventutem docerent.

Sententia Thaletis ex Jonica, & Pythagoræ ex Italica ſecta de Dæmonibus.

Ex hoc veterum Philoſophorum grege, & quidem ex *Jonica* ſecta *Thales*, ex *Italica Pythagoras*, fere idem ſenſerunt. Primus mundum animatum & Dæmonibus plenum docuit apud Ciceronem *L. 2.* de legibus; adde Menagii Obſerv. ad Laërtium *L. 28 p. 16.* De Pythagora autem Diogenes Laërtius in ipſius vita *L. 8. Segment. p. 8. 514. edit. Menag.* nos docet, tradidiſſe ipſum, totum aërem plenum eſſe animarum, easque & Dæmo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [55] - 49
PUBLIC DOMAIN

nes & heroas existimari, atque ab his hominibus immitti somnia, & signa morbi & sanitatis; neque solum hominibus, verum & pecudibus & jumentis; atque ad has referri lustrationes & expiationes divinationemque omnem, & vaticinia atque cætera id genus. Et quidem juxta Plotinum crudeles in luporum, jurgiosos in canum, meticulosos in mulierum, sapientes in hominum excellentium formas, atque pro re nata sic alterve mutari. Maxime vero eas, quæ in hominibus fuere, animas superstitum inducere sive ad bonum, sive ad malum. Quibus præmittit, Mercurium animarum Quæstorem esse, atque ideo ductorem dici ac janitorem & terrenum, quod is ex corporibus & ex terra & ex mari animas immitteret, atque puras quidem & purgatas in excelsum duceret, impuras vero illis ne appropinquare quidem debere, neque invicem sibi ipsis, affirmat, cæterum vinciri a furiis infractis nexibus subjicit.

Sententia Melissi ex Secta Eleatica, Democriti Athenodori & Laconis.

Ex secta *Eleatica Melissus*, citante *Vossio de Sectis Philos. cap. 7.* de iis nihil statuendum esse credidit, ob obscuram & incertam eorum notitiam. *Democritus* Abderita ex eadem Secta tantopere visiones & spectra contemsit, ut in mortuorum monumentis dies noctesque studiis operam daret, ubi cum ipsum umbrarum habitu aliqui circumsilirent, is nihil territus inter legendum inquit: *Desistite tandem ineptire.* De *Lacone* tradit Plutarch. in Lac. ipsum spectro lanceam obtulisse, fugientemque imaginem secutum atque sic allocutum fuisse: *Quo fugis anima bis moritura?*

Cynicorum sententia.

De *Cynicis*, quorum Princeps Antisthenes & hujus auditor *Diogenes* Synopensis commemoratur, parum memoriæ proditum est, quid de Diis aut magicis artibus senserint. Astrologiæ cæterarumq; disciplinarum atque artium veluti inutilium, & quæ minime essent necessariæ, negligentem fuisse Diogenem tradit *Laërtius L. VI. c. 73.* Rondellus tamen & Tiberianus quidē nos docent, quod a Platonismo non adeo fuerit remotus, utpote qui Platonis hæreditatem invaserit, quod ex dicto ejus de animæ secessu a corpore probatur. De *Antisthene* & ejus Libro Physico Auctor est *Cicero, L. 1.* de natura Deor. §. 13. edit. Gronov. ipsum, populares Deos multos, naturalem unum dicendo, tollere vim & naturam Deorum. Pro divinatione Diogenem sic argumentatum fuisse legimus apud eundem *Cic. L. 2. de Divinat. §. 49. Si sunt Dii, aut non diligunt homines, aut quid eventurum sit, ignorant, aut existimant, nihil interesse, hominem scire, quid futurum sit, aut non censent, suæ esse Majestatis, præsignificare, quæ sint futura, aut ea ne ipsi quidem Dii præsignificare possunt.* Quæ cum concedi nequeant, concludit loco cit. *dari Divinationem.*

Scepti-

Sceptici sive Pyrrhonii quoniam dogmaticis sese opponebant, &, quemadmodum *Metrodorus Chius 4. Academ. apud Cicer.* negabant, *scire se sciamusne aliquid, an nihil, ne id ipsum quidem scire aut nescire, scire nos, nec omnino, sitne aliquod an nihil sit?* quod *Franc. Motthæus Vayerius* paulo aliter explicat, circa Dæmonum doctrinam incertos esse vagatos sententiis, concludi potest. Inter recentiores Scepticos non incommode a *Rysselio* collocatur *Lucianus* Samosatensis, licet a *Vossio de Sectis c. 8. §. 24.* inter Epicuræos referatur. In præfatione Libri contra dogmaticos se ipsum diserte Scepticum appellasse asseritur, cui addi potest *Apologia* Luciani contra eum, qui dixerat, Protheus es, & *Hermotimus* seu de Sectis. Vanitatem artis Magicæ adeo deridet, ut in Dialogo, qui Lucius seu Asinus inscribitur, fingat, se artis magicæ discendæ causa in Thessaliam profectum fuisse, sed a *Palæstra* quadam, quæ loco unguenti, quo Domina inuncta in avem transmutabatur, collyrio alio per errorem se delibutum, & pro ave in asinum conversum fuisse, in qua metamorphosi quid perpessus fuerit, festive admodum recenset. Cui ejusdem *Necromantia* jungi potest. In *Philopseude* autem, ubi mira de spectris & hominum transformatione afferuntur, introducit aliquem, qui istos fabularum narratores perstringit, ut parcant, tales aniles fabulas in conspectu juvenum recensere, quia tam prodigiosis & terribilibus fabulamentis meticulosi redderentur, & per omnem vitam perturbati superstitione implerentur. Ὁυ πάυεσθε, inquit, μὴυ δὲ ἐγὼ τὰ τοιαύτα, τερατολογῦντες λέγοντες ἄνδρες; εἰδὲ, μὴ ἀλλὰ κἂν τῶν μειρακίων τύτων ἕνεκα εἰς ἄλλον καιρὸν ἀποβάλεσθε τὰς ψυχαγωγίας ταύτας, καὶ φοβερὰς διηγήσεις, μὴ πῶς λάθωσιν ἡμῖν ἐμπλησθέντες, δεισιδαίμονων, καὶ ἀλλοκότων μηθολογημάτων. Φείδεσθαι νῦν χρὴ αὐτῶν, μὴ δὲ τοιαῦτα ἐθίζειν ἀκούειν, ἃ μηδὲ παντὸς τοῦ βίου ἐνοχλήσῃ, σύνοπτα, καὶ ψοφοδεῶς, ποιήσῃ, πομπῆς τῆς θεισιδαιμονίας ἐμπίπλανται. *Sceptico-rum.*

De sententia circa dæmones & spectra veterum *Eclecticorum*, quos Festus miscelliones appellat, qui non certæ sententiæ, sed variorum mixtorumque judiciorum sunt, nihil perinde determinati dici potest. Libri enim *Potamonis*, in quibus e singulis sectis, quid placuisset, selegerat, non extant. Et licet doctrina Eclectica probetur *Clementi* Alexandrino, Strom. Lib. I. Lactantio & Augustino, quid tamen senserit sectæ hujus princeps, non æque exinde patet. Quare ad sententias istarum quatuor celebrium sectarum, qui Antonini Pii Imperatoris decreto libertatem & florem docendi consecutæ sunt, accessum faciemus, & deinceps ordine alphabetico Eruditorum recentioris ævi placita lustrabimus. *De Eclecticis.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [57] - 51
PUBLIC DOMAIN

De Platonicis.

Platonici, auctoribus ſuo Platone Critia reliquisque, intra aëris regiones, ætheris, cœli, orbiumque cœleſtium ambitus, incolas contineri trifariamque diſtingvi putabant, in *ſupracœleſtes, cœleſtes* & *ſubcœleſtes*. Summum Deum Diis ſupracœleſtibus ſtipatum feliciter agere perhibebant, utpote qui rebus inferioribus non immiſceretur. Deos cœleſtes rebus humanis præfici, his vero ſubſtitui ſubcœleſtes natura ſua nobis propinquiores ſimilioresque, cum corporibus aëreis & æthereis conveſtiantur, interque fines quosdam hominibus fere communes coërceantur, & nunc boni nunc mali exiſtant. Quod igitur adeo ancipitis eſſent naturæ, propitiandos fore, & extra dubium poſuerunt, Deos ſ. dæmones illos humano generi plus officere poſſe, quam homines animalibus cicuribus, vel feræ hominibus queant. Hinc cultum variorum dæmonum ſacrorumque extitiſſe late ediſſerit *Eduardus Baro Herbert de Cherbury*, in tractatu de religione gentilium errorumque apud eos cauſis, Cap. X. & XI. qui de geniis addit, quod exiſtimatum ſit, eſſe eos naturales Deos uniuscujusque loci, rei & hominis, proinde *Symmachum* dicere, ut animæ naſcentibus hominibus, ita populis integris fatales genii dividuntur, magnamque dicit ſecundum ipſos affinitatem eſſe inter lares, genios & penates. Apulejo etiam de Deo Socratis teſte lares veteri lingua lemures dictitatos fuiſſe, ſed larem lemure mitiorem habitum; lemures enim ſ. larvas noxias fuiſſe ſaltem malis, aſt lares Deos domeſticos & familiares perhibitos. Cæterum ex Platonis L. II. de legibus conſtat, ipſum dubitaſſe, an incantatione noceri poſſit? Addatur Dn. Erici Mauritii Diſp. de Denunc. Sagar. §. 6. c. 1.

De Stoicis.

Ex Stoicis Seneca, natural. *quæſt. L. IV. c. 7.* eos mendacii arguit, qui cum grandine paciſci & tempeſtates excitare ſe poſſe putant, concluditque hunc in modum: *Rudis adhuc antiquitas credebat, & attrahi imbres cantibus & repelli, quorum nihil poſſe fieri tam palam eſt, ut hujus rei cauſa nullius Philoſophi ſchola intranda ſit.* Ad eundem fere modum *Hippocrates* in Libr. de morb. ſacr. de magis loquitur: *Opp. ſect. 3. p. 85. n. 10.* Ἐμοὶ δὲ δοκέουσιν οἱ πρῶτοι τῶν τὸ νόσημα ἀφιερώσαντες τοιοῦτοι εἶδε δύθραποι οἷοι καὶ νῦν εἰσὶ μάγοι τε καὶ καθάρται καὶ ἀγύρται καὶ ἀλάζονες, οἱόσοι δὴ προσποιέουσι σφέας θεοσεβέες εἶδεν, καὶ πλέον τι εἰδέναι, ἕτοι τοίνυν παραυπεχόμενοι καὶ προσδυνάμενοι τὸ θεῖον τῇ ἀμηχανίῃ τὸ μὴ ἴσχειν ὅτι προσενέγκαντες ὠφελήσουσιν ὡς μὴ καταδήλοι ἔωσιν, ἰδὲν ἐπισάμενοι, ἱερὸν ἐνόμιζε τοῦτο τὸ πάθος εἶδε, καὶ λόγοις ἐπιλέφαντες ἐπιτηδείοις, τὴν

τὴν ἴησιν κατεςήσαν]ο ἐς τὸ ἀσφαλὲς σφίσιν, ἑαυτοῖσι, καθαρμοὺς προσφέρον]ες καὶ ἐπαοιδὰς λατρῶν τε ἀπέχεσθαι κελεύον]ες, καὶ ἐδέσματ' πολλῶν, καὶ δυσπιτηδείων ἀνθρώποισι νοσέουσιν ἐθίην. *Mihi certe*, inquit, *qui primi hunc morbum ad Deos retulerunt, tales esse videntur, quales sunt Magi expiatores, circulatores, ac arrogantes ostentatores, qui se valde pios esse plurimumque scire simulant. Hi quippe divinitatis obtentu ac prætextu cum nulla opera prodesse possent, ne insciitiam suam proderent, sacram hanc affectionem esse censuerunt*, & additis idoneis rationibus tutam sibi curationis viam proposuerunt, oblatis expiationibus & incantationibus, balneisque interdictis, & multis cibis ad laborantium usum minime accommodatis. Consentit cum *Hippocr.* & *Senec. Plinius* L. XXX. c. 2. qui, quæ de Magis narrantur, adducto Neronis exemplo deridet.

De Peripateticis.

Peripateticorum Princeps, Aristoteles, nihil diserte de sagis memorat. Ipsi quidem a Plinio & Laërtio liber μαγικὸν inscriptus tribuitur. Verum Aegidius *Menagius* ad proœmium Laërtii notat, hunc inter libros ipsius in vita ejus non recenseri, ab aliis Antistheni, ab aliquibus autem Rodomi, teste Suida, tributum fuisse, adeoque inter ψευδεπιγράφους ab auctore vitæ Aristotelis inedito numerari. Aristoteles certe Lib. 8. histor. Anim. cap. 24. Professorum carmina incantamentorum figmentis mulierc ularum & fabulis annumerat. Et antiquos etiam Peripateticos, Alexandrum, Simplicium, Averrhoem, eorumque plerosque dæmones & spectra negasse, Binsfeldius asserit. Quod de ipso Aristotele quoad dæmones probat Pomponatius, L. 1. de Incant. cap. 9.

De Epicureis.

Sectæ suæ auctor *Epicurus*, uti a cæteris discessionem fecit, ita communem doctrinam de dæmonibus & geniis rejicit, existimans, quod illi, qui genios sibi apparere commemorant, aut mentiantur, aut fingant, aut melancholici sint, talesque, ut ærumnosum corpus ipsis tum suspendat, tum ad extraordinaria deflectat imaginationem; pigetque ipsum humanæ imbecillitatis, quando ad stabiliendam dæmonum existentiam divinatio aut oracula obtenduntur, quasi Dii nonnisi in grabato decumbentibus & ratione ægre utentibus adesse velint. Non aliter sensit Theodorus Bysantius, Epicuræus, vanas has & inanes imagines nunquam sapienti cuiquam, sed pueris, mulierculis, stolidis ac deliris, opinionis errore deceptis illusisse. Nic. Remigius c. 28. Dæmonol. Tenuit ejus disciplinam inter plurimos *Mus* servus, & locum hic quoque sibi vindicant *Lucretius* & *Petronius Arbiter*. *Gassendus*, licet Epicuri Philosophiam sequatur, inter alia tamen

in doctrina de Providentia & Dæmonibus ipsum passim emendat. Vid. ejusd. *Syntagma Philosophiæ Epicuri* cum refutationibus dogmatum, quæ contra fidem Christianam ab eo asserta sunt, *P. II. Sect. II. c. 6.* & infra, ubi Gassendi sententia recensebitur.

De Ecclesiæ Patribus. Ex Christianis Seculi IV. Patribus *Arnobius* maleficis concessit vim mortiferam labem immittendi, ut clausa sine clavibus reserare, similiaque perpetrare possent. *Augustini* Patris doctissimi *L. XIIX. c. 18. de Civ. D.* nos docet, ipsum, quæ de transformatione hominum in bestias aliisque incantamentis Magicis referebantur, vel falsa, vel inusitata vel incredibilia pronunciasse, non tamen omnibus plane fidem negasse. Sunt, qui *Hieronymum in Comment. ad Gal. Cap. III. v. 1.* negasse sortilegos crediderunt; vero tamen similius apparet, ipsum fascinationis negotium non tam negasse, quam in dubio reliquisse. De Lactantio ex ejusdem Institutionibus divinis satis notum est, quomodo dæmonibus varias operationes malas inprimis adscribat. *Justinum Martyrem*, qui secundo post Christum seculo vixit, Libros Histaspidis Magi commendare tradit *Petrus Petitus L. III. c. 17.* de Sibylla. Sed idem l. c. miratur, hoc ab ipso factum fuisse, & ex *Ammiani Marcellini L. 23.* probat, hunc Histaspidem Cacodæmonum multitudinem agnovisse & professum fuisse, secundum Magiæ definitionem a Platone in Alcibiade primo traditam.

De Alcorano Mahometanorum. Antequam ad recentiora tempora accedamus, de Mahometicis, sive Musulmannorum circa argumentum nostrum decretis pauca afferemus. Angelorum cum bonorum, tum malorum mentionem cumulate & in omnibus fere paginis facit Alcoranus. De origine Angelorum *Cap. Hegir. p. 205. Edit. Gall.* a Dn. du Ryer vulgatæ, statuitur, Deum jussisse, ut Angeli adorarent Adamum, ex limo terræ conditum, recusasse vero illud Diabolum, & respondisse, se ex igne, Adamum vero ex limo esse conditum, qua ratione Deus Paradiso expulerit Spiritus hos refractarios. Tunc Diabolum dixisse, se velle tentare omnes Creaturas a Deo deficientes, quia Deus ipsum tentasset, Deum vero jussisse, ut adorantibus ipsum misericordiam & clementiam annunciaret. In capite, quod inscribitur de vacca, statim initio Alcorani *p. 12.* mentio fit duorum Angelorum *Arot & Marot*, quod Diaboli docuerint Magiam populum, ipsumque didicisse, quod damnosum, non quod utile esset. Neque tamen magia ista damnum allatum fuisse cuiquam, nisi ex divina permissione.

De Alberto Magno & Scholasticis Doctoribus. Ad propiora nobis tempora pertinet, quod Albertus M. Rogerius Baco, aliique, cum naturalem plerumque exercerent Magiam, de Dæmoniaca

niaca suspecti fuerunt. Inter Scholasticorum Doctores Scotus, Gabriel, Gerson, Martini, Guilielmus Parisiensis, Castrensis, Turrecremata, aliique, haud dubie pactum verum & reale cum diabolo & maleficiis approbarunt. *Vid. Sprenger. Mall. malefic.* Thomam ab Aquino, dictum Angelicum Doctorem, communes has sententias fovisse passim ex ejus Summa constat. *Vid. Libr. 4. sententiar. distinct. 24. Summar. 2. quæst. 95. art. 5. distinct. 7. art. 5.* & alibi. Trithemius, Abbas Spanheimensis, pariter Maximiliano Imperatori respondit: Dari sagarum pactum cum dæmone.

Agrippa.

Henr. Cornel. Agrippa a Nettersheim, armatæ militiæ Eques Auratus, & J. U. ac Medicinæ Doctor, in Libris tribus de occulta Philosophia perplurima de Magia & Magicis operationibus disseruit. Quartus eidem solet adscribi, sed *Wierus* de præstigiis dæmon. *Lib. II. c. 25.* hunc abominabilem librum multis ignotis nominibus & signaculis deformem, ad captandam vulgi admirationem falso Agrippæ, suo olim Præceptori & Hospiti, adscribi queritur. Nam Wierus Agrippam defendit ab hac injuria. Exstat in Agrippæ Opp. Lugduni editis, Ep. ad Trithemium Abbatem, in qua causam commemorat, cur vera Magia inculta & exosa sit, & quod hæc ipsa ratio ipsum excitaverit ad eam excolendam, & ad tres de illa libros conscribendos. Sed in Parte poster. Opp. Libris scil. de vanitate scientiarum, *c. 48.* revocat illa, quæ juvenis de Magia commentatus erat. Et rationem subjicit: *Quicunque enim non in veritate, nec in virtute Dei, sed in elusione dæmonum, secundum operationem Spirituum malorum, divinare & prophetare præsumunt, & per vanitates Magicas, exorcismos, incantationes, amatoria, agogima, & cætera opera dæmoniaca & idolatrica fraudes exercentes, præstigias & phantasmata ostentantes, mox cessantia miracula se operari jactant, omnes hi cum Janne & Jambre & Simone Mago æternis ignibus cruciandi destinabuntur.*

Alciato.

Andreas Alciatus, JCtus Italus, a Wiero aliisque adduci solet, quasi mulieres veneficas solum melancholicas fuisse statuisset. Verum loco ex Parerg. L. VIII. c. 12. integre perpenso, animadvertere licet, ipsum distinxisse sagas, & secundum hanc differentiam de illis pronunciasse.

Allatio.

Quid *Græci* hodieque credant de lamiis, aut infantes experiantur ex strigarum insidiis, explicat *Leo Allatius*, Ep. ad Paulum Zacchiam, Medicum, Kromannus de Græcorum hodiernorum nonnullorum opinationibus.

De l'Ancre.

In Gallia Judex causis veneficarum a Rege constitutus in Bearnia est *de l'Ancre*, qui in libris de artibus maleficarum horrenda ex constantibus testimoniis commemorat.

Præci-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [61] - 55
PUBLIC DOMAIN

Baylio. Præcipuus noſtri temporis Polyhiſtor *Petr. Baylius* in Dictionario ſuo Hiſtorico-Critico *T. II. p. 1169. ſqq.* Tireſiæ, nobilis quondam vatis hiſtoriam recenſet, & poſtquam Porphyrium non ſine ratione deridere dixiſſet, quicquid de dæmonibus defunctorumque animis fingi ſolet, judicium ſuum p. 1173. annectit, ſtatuere nonnullos, dari Magos, qui certum quaſi imperium exerceant, quo etiam repugnantem dæmonem evocare poſſint, ne quid de populari Magia & fabulis vulgo commemoret. Quæ quanquam ſatis abſurda videantur, poſſe tamen tanquam poſſibilia hæc admitti, ſi ſemel concedatur, quod certum aliquod pactum aut conventio iniri poſſit inter hominem & malum angelum. Cum enim dubio procul ſubordinatio ſit inter ſpiritus, fieri etiam poſſe, ut ſint dæmones, qui imperium abſolutum exercent in alios. Unum vero dæmonem talem ſuis Magis promittere poſſe, quod ipſis ſubjicere velit omnes ſpiritus ſuæ poteſtati ſubjectos, & quod minari mala velit iis, qui fuerint immorigeri. Narrat deinde ex *Thuano*, de vita ſua L. VI. p. 1233. *Bellemontium* profeſſum fuiſſe Magiam dæmonum, qui numinis divini particula eſſent, præclaram artem conciliatricem cum hominibus ad beneficium inventam, non ad maleficium, quo Sortiarii, ut vocantur, vulgo utuntur. Ipſi ſortiarii ſpirituum malorum vilia mancipia in craſſam ignorantiam demerſi, ac veneno ac diris faſcinationibus eorum arbitrio, perniciem humani generis machinantes; cum contra Magia dæmonum ſpiritibus imperet, & eorum conſortio & familiaritate, arcana naturæ vulgo ignota, nec libris prodita, cognoſcere, futura rimari, mala declinare, pericula avertere, amiſſa recuperare ſciat. Quibus plura adhuc beneficia addit, quæ Magia præſtare hominibus poſſit, idque in Parlamento profitebatur, quod nihil tamen minus ſententiam ultimi ſupplicii in hunc confitentem tulit.

Beckero. Nemo majori opera & contentione operationes dæmonum in hominibus oppugnavit *Balthaſ. Beckero*, Theol. Doctore & Eccleſiaſte Amſtelod. qui poſt publicatum librum de mundo faſcinato nemini amplius ignotus eſt. Libri hujus aliquot millia exemplaria duorum menſium ſpatio vendita, ipſumque in Germanicam, Gallicam, Italicam & Hiſpanicam linguam converſum eſſe commemoratur. Præfatio introductionem & ſummam totius operis exhibet, ubi imprimis pag. 16. & 17. Lectorem admonet, ſententiam ſuam minime iſta hypotheſi inniti, quod ſpiritus non poſſint operari in corpus. Se quidem evincere illud, verum fundamenti loco nequaquam ſubſternere operi, a quo in tantum ipſum abeſſe

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [62] - 56
PUBLIC DOMAIN

abeſſe aſſerit, ut, licet falſa ſit iſta hypotheſis, quam vero ipſe veram putat, libro tamen ſuo nihil quicquam detrimenti ſit.

Binsfeldius, Theologiæ Doctor & Suffraganeus Trevirenſis, vitium hoc plurimum invaluiſſe in Germania queritur, ac multos judices experientia malorum excitatos diligentius inquirere ſcribit, atque in præfatione deſcriptionem de ſagis ſatis amplam habet. *Del Rio* autem, Hiſpan. Regis, Philippi II. Conſiliarius & ſupremus Judex Belgici Exercitus, deinde Jeſuita & in Lovanienſi, Græcenſi, Salmanticenſi Academiis Profeſſor, idem propemodum cum Binsfeldio ſenſit. *Binsfeldio.*

In Gallia *Joh. Bodinus* de Magorum dæmonomania Libros IV. edidit, primum Gallice, deinde Latine & Germanice verſos. Quod opus quidem *Joh. Georg. Voſſius de Idololatr. L. III. c. 47.* vocat librum inconſideratiſſimum, quique, uti pluribus ibidem demonſtrat, non atramento, ſed ſanguine præſertim adverſus imbecillem ſexum maxime deformem & melancholicum ſcriptus fuerit. Occaſio ſcribendi ipſi fuit, quod An. 1570. ipſe inter alios *Johannæ Harvielliena*, veneficii accuſatæ Judex datus, adeoque poſt multas variationes & negationes in rem ulterius inquirendi anſam nactus eſt. *Bodino.*

Jac. Böhmius, Philoſophus Teutonicus, qui egregie laudatur ab *Henr. Moro*, in Cenſ. Philoſoph. Teutonicæ, *Opp. T. I p. 356.* & defenditur a *Morhofio, L. I. Polyhiſt. c. X pag. 64.* ſpectra & apparitiones cum per diaboli glaucomata fieri, tum ipſas demortuorum animas, pias juxta atque impias, viventibus apparere poſſe nos docet, in der Beſchreibung der dreyen Principien göttl. Weſens/ Cap. 19 Art. vom ausfahren der Seelen/ p. 277. Animas pie defunctorum in terris poſt mortem interdum miracula operatas fuiſſe p. 279. inde probat, quoniam ipſarum virtus eſſentialis ex Dei potentia originem ducat. Animas vero poſſe fide pii hominis reduci confirmat, quia vivens fidei ſuæ efficacia regnum cœlorum ſanctum attingat, ubi ſanctæ animæ defunctæ requieſcant. Qualem vero formam diabolus induerit poſt lapſum, & ubi plerumque hoſpitetur, item de falſa Magia & Necromantia, ſignificatur in myſterio magno, c. IX. vom Fall Lucifers und ſeinen Legionen/ & Auroræ c. 6. ieqq. *Böhmio.*

Böhmium magni fecit *Antonia Bourignonia*, quæ a *Petro Poireto* Apol. II. contra Lipſienſes in lib. de Eruditione p. 372. Edit. Amſtel. poſt alia clariſſima elogia prædicatur admirandæ eruditionis divinæ Virgo ſanctiſſima. Vid. etiam p. 385. Apol. IV. Nec minus præclare de ipſa ſentit *Dn. Thomaſius*, Diſſert. ad Poiretum § 29. Licet eandem e contra- *Bourignonia.*

rio *Beckerus* L. IV. c. 25. §. appellet ſtultam malitioſamque fœminam, eine böſe Närrin/ quod omnes pro Magis proclamet, qui ipſius periculoſis conatibus obſiſtant. Nimirum ſtatuebat hæc, tres mundi partes diabolo eſſe pacto expreſſo addictas. Quod licet Poiretus in Vita ipſius perſuadere nitatur, non perſuaſit tamen multis, nec ipſi quidem Thomaſio, qui ratione allata in dict. Diſſertat. contrariam ſententiam probabiliorem reddere viſus eſt. Quid præterea circa noſtrum argumentum Myſtici aut illuminati illi ex veteribus, *Dionyſius Areopagita*, ex recentioribus *Thereſia*, *Kuhlmannus*, *Portagius*, *Leade*, ſimilesque ſenſerint, commemorare nimis prolixum, nec neceſſe eſt.

Boyle. Quod ad Angelorum corpulentiam, uti *Tertullianus* loquitur, attinet, illuſtris Phyſicus, *Robertus Boyle*, in opuſculo, cui titulus: Excellentia Theologiæ cum naturali Philoſophia comparata, Sect. I. p. 2. definire non vult, num in utroque hoc ſpirituum genere (dæmonum & angelorum malorum,) entia rationalia ſint omnimodo materia, utut tenuiſſima & maxime ſubtili unione immunia, vel num vehiculis non craſſis ſed ſpirituoſis nobisque ordinarie inviſibilibus uniantur ?

Cardano. *Hieron. Cardanus*, Mediolanenſis Medicus & Philoſ. de rerum Varietate, *L. XV. c. 80.* de lamiis ſtatuit, ipſas eſſe mulierculas mendicas, & atræ bilis morbo laborantes, quod hiſtoria & curatione, malefico cuidam Bernhardo facta, illuſtrat. In univerſum tribus maxime deceptionem, quod lamiæ exiſtere credantur, Cardanus conſtare putat: atræ bilis imaginibus, conſtantia ipſorum, qui hac labe correpti ſunt, & fraude Judicum. In diverſam tamen ſententiam abiit *Joh. Franciſc. Mirandula*, uti opus ipſius de ludificatione dæmonum a Weinrichio in Germania editum oſtendit.

Carteſio. *Carteſius* equidem doctrinam de ſpiritibus, Magia & ſpectris, in Philoſophia ſua, quantum conſtat, non explicavit, cujus proinde ſententia a nobis adduci nequit. *Poiretus* tamen, in Diſcurſu præliminari ad cogitationes ſuas rationales, ſecundæ Edit. & in methodo inveniendi verum, inter abuſus rationis & fructus degeneres Carteſianiſmi recenſet, quod *Spinoſa* ad Atheiſmum, & *Beckerus* ad negandas Spirituum operationes in corpus proceſſerit. Dn. *Thomaſius*, im Verſuch vom Weſen des Geiſtes/ quoque putat, Carteſianos potius in Atheiſmum aut negationem ſpirituum, quam Magiam aut artes eo pertinentes, incidere poſſe.

Clerico. *Joh. Clericus*, celeberrimus in Amſtelod. Gymnaſio apud Remonſtrantes Profeſſor, uti videre licet ex iis, quæ de Magis ſeu veneficis in Opp. ipſius Philoſ. Pnevmatologiæ *Sect. II. c. 5. p. 99.* leguntur, *Cap. præced.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [64] - 58
PUBLIC DOMAIN

ced. 4. quod de malis Angelis eorumque miniſteriis & poteſtate inſcribitur, Energumenos quidem admittit, ſed plurima arte humana ſimul ficta eſſe affirmat. De Magis aut veneficis dubitari quidem non poſſe putat, quin narrationibus ejuſmodi innumera admiſta ſint mendacia, omnia tamen falſitatis arguere velle, temerarium eſſe dicit, præſertim cum Sacer Codex ſimilia quædam narret. Et ſi quis contenderit, angelis malis nihil potentiæ in corpora eſſe, quia cogitationis in corpora vis nulla eſt, eum, antequam hoc concedatur, oſtendere, & quidem evidenter, oportere ait: 1) nihil eſſe in angelis, præter cogitationem, 2) a Deo nullum eſſe inter eorum voluntates & corporum mutationes nexum inſtitutum? Nam ſi unum horum ſine abſurditate admitti queat, etiam mali ſpiritus in corpora agere poſſe haud abſurde cenſebuntur. Prodigia quoque, miracula, portenta & præſtigias a diabolo effici poſſe probabile eſſe putat, poſtquam de ſingulis harum rerum definitiones attuliſſet.

Theodorus Craanen, Philoſoph. & Medic. olim in Academ. Lei- *Craanen.*
denſ. Doctor & Profeſſor, deinceps Conſiliarius, Archiater primarius Potentiſſ. Electoris Brandenb. Friderici Wilhelmi, & Academ. Duisburg. Curator, in Tractat. Phyſico-Medico *de homine* Lugduni Bat. impreſſo, *c. 92. p. 573.* prolixe ſatis mentem ſuam circa obſeſſionem & ſagas explicat, quæ licet longiuſcula ſunt, non poſſumus tamen, quin ea hic loci apponamus. *Nunc*, inquit, *facile intelligimus, quid ſit obſideri, quam obſeſſionem credulі homines crediderunt, ut & illa, quæ fabulantur de ſagis & maleficis, de quibus quanti non rumores in Germania? Solebant homines comburere propter maleficia. Fatemur quidem, quod, cum venena aliis exhibuiſſent, hoc modo maleficorum tractare dici queant, ut ſic miſeram homines vitam trahant aliquandiu, aut actu moriantur ab illo veneno aſſumto. Et hæc & ſimilia vulgo diabolo adſcribuntur, quatenus homines illi malefici per diabolum operantur, cum quo pactum aliquod fecerunt. Et hoc cum apud credulos firmum & indubitatum ſtet, contingit, ut ab aliquo malevolo immittantur, (uti utplurimum accidit) eorum frons, tempora & nares, dum putant ſe revera ab illis hominibus eſſe maledictos, quod vulgo dicunt*, bezaubert ſeyn. *Interim homines illi miſeri incidunt in ſomnum profundum, & multa inſomnia habent, multa imaginantur de his, quæ imaginatione poſt ſomnum continuantur. Hinc incidunt in Melancholiam & ſibi nihil aliud, quam hoc, videlicet ſe eſſe a maleficis male tractatos imaginantur. Hinc poſtmodum precatum eunt, ut ab hac maledictione diabolica liberentur denuo. Promittunt itaque laudabilem pecuniæ ſummam, atque ita illo lucrum fa-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [65] - 59
PUBLIC DOMAIN

ciunt. Illi, qui pro maleficis habentur, fatentur se cum diabolo pactum inivisse, ut ita maleficia patrare possent, & super hanc quæstionem accusati a judice, morti dantur, & sic sufficit pio judici propter hominem melancholicum & imaginarium alium morti dare, quæ res est ardua & non ferenda. De obsessione autem diaboli sic sentit: *Sed quomodo diabolus posset obsidere nostram mentem? scimus quidem deliriorum esse varia genera, qualia sunt maniacorum & phreneticorum, similiumque; sed an ideo dicentur diabolo obsessi, cum absurda agerent? an possit mens diaboli se miscere cum mente alterius, vel ita conjungere, ut duplex oriatur mens in una? De corpore omnes, absurdi licet, Philosophi fatentur, non dari penetrationem dimensionum, sic una mens deberet fieri duplex, hoc est, dari deberet penetratio duarum mentium, cogitationes essent eædem, ut unam facerent singularem.* Deinceps sibi objicit: *Sed dicunt, hoc esse posse per aliquam consequentiam, quod volente diabolo hæc vel illa in me sequatur mala cogitatio;* & respondet: *Sed hoc statuere ridiculum, nisi Deus dicatur diabolo dedisse singulare aliquod privilegium, vel Deum cum diabolo inivisse pactum aliquod, quod ille damnatas nostras regeret cogitationes, qui creati sumus ad imaginem Dei, quique nos suos infantes diabolo damnato postponeret, quod ille in nos imperium haberet, quales hæ sunt absurditates indignæ Christianis auribus?* & concludit: *Nisi ergo ratio seu revelatio contrarium doceat, diabolo obsessi sunt, aut malitiosi, qui hæc faciunt, ut nummum eliciant, aut sunt melancholici, aut furibundi, maniaci, splenetici;* cujus impostura exempla Montanum recensuisse dicit. Equidem nonnullos homines interdum imaginationis & corrupti sanguinis vitio se sagas & veneficos credidisse, qui tamen minime omnium tales fuerunt, cum historiarum fide convenit. Hujus rei singulare exemplum habet Excellentissimus Dn. D. Bohnius, in novissimo, eoque eleganti, opere de Officio Medici duplici, clinici nimirum ac forensis, *P. II. c. 6. p. 679.*

Daleo. Medicum *Anton. van Dale* in suis scriptis attulisse nonnulla affirmatur, quæ ad negandam Magiæ existentiam ducant. Commemorandus etiam *Daillonius*, Ecclesiæ Reformatæ olim in Gallia Minister, post Londini exul, sæpe a Beckero in Mundo suo Fascinato laudatus. *Lambertus Danæus* in dialogo de Veneficiis, quos mox Sortiarios, mox Sortilegos vocat, Sortilegos describit, qui Satanæ ita addicti sunt, ut commercium cum eo amicitiamque contraxerint. Haud dissimile judicium facit Nicol. Remigius, Ducis Lotharingiæ Consiliarius, quæque judicia in Magos ipse exercuerit, describit. Quam festive *Erasmus Roterodamus* spectrorum

Daillonio.

Danæo.

Erasmo.

exor-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [66] - 60
PUBLIC DOMAIN

exorciſmum deriſerit, & impoſturis ſacrificulorum fabulas has annumeraverit, videri poteſt ex Dialogo in ejusdem Colloquiis, qui Exorciſmus ſeu Spectrum inſcribitur. Ex illis, qui hypotheſes ſuas Philoſophicas ex Sacra Scriptura adducere laborant, *Robertus Fludd a Fluctibus*, Armiger & in Medicina Doctor, defendit in expreſſione Spongiæ Forſterianæ, fol. 27. ſecretam combinationem & unionem, quæ efficitur inter malignum ſpiritum & cacomachos, & quod inter ipſos pangatur, ut ſpiritus in quacunque forma (ſtatuit enim ſpiritus materiales,) quotidie poſſit ſanguinis portionem ſugere, ut ſic ſpiritus Magi convertantur in portionem diabolicam. Philoſophiæ autem Moſaicæ *Lib. II. memb. II. c. 6. f. 121.* diabolum conſtitutum eſſe ait principem aëris, ac proinde tempeſtatem excitare poſſe, & ob hanc cauſam aërem dici a quibusdam Synagogam diaboli. Eundem diabolum, inquit, a longo tempore Aſtrologiæ peritum, colligere herbas, cum, influentia potens, ſpiritus centrales feriat, aut veneficas & incantatrices doceri ab ipſo, quomodo herbas colligere poſſint.

Negat *Joh. Chriſt. Frommannus*, Tract. de Faſcinat. vulgarem, vi- *Fromman-*
ſualem & naturalem faſcinationem, *L. I. P. II. Sect 3. §. 1.* eamq; velut a vetulis *no.*
confictam rejicit. Faſcinationem autem naturalem improprie dici obſervat, eamque per contagium explicandam eſſe probat. Diabolicam vero ſeu magicam exiſtere *L. III. c. 2.* cum Theologis affirmat.

Emendavit *Petrus Gaſſendus* Epicureæ Philoſophiæ labem circa *Gaſſendo.*
providentiam divinam & genios ſeu angelos, quos Epicurus negabat, adductis variis cæterorum Philoſophorum ſententiis circa hanc rem, in *Syntagm. Philoſoph. Epicur. P. II. Sect. 2. c. 6.* De γοητεία autem ſeu arte incantamentorum *p. 311.* idem ſentit, quod de cacomachia, qua aliqui hircis (uti illa pennatis ſerpentibus,) per aëra vehuntur, aut in lupos transformantur, quod vividiſſima ipſos imaginatione ſomniaſſe dicit, ita, ut, ſi impoſtorum fraudes, veteratorum veneficorumque noxæ, anicularum deliramenta & facilis vulgi credulitas adimatur, nihil quicquam veri reperiatur.

David Joris aut *Georgius*, qui Baſileæ 1556. mortuus, ſed ob hæ- *Davide Jo-*
reſeos crimen iterum effoſſus & combuſtus eſt, laudatur ab *Henrico Mo-* *ris ſ. Geor-*
ro, in Enthuſiaſmo triumphato, ſect. 34. quod totus fuerit ad honeſtatem *gio.*
& pietatem compoſitus, liberalis pauperum ſublevator, conſolabundus viſitator ægrotorum, & quod templum religioſe frequentarit; ſed inter dogmata ipſius hæretica, uti plurimi Hiſtoriæ Joriſticæ ſcriptores faciunt, num. 8 recenſet, iſtum docuiſſe, quod angeli & diaboli ſint tantum ho-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [67] - 61
PUBLIC DOMAIN

mines boni & mali, & eorum virtutes & vitia. Et *Opp. T. II. p. 198.* dicit, hunc Georgium Melancholiæ ſanguinisque intoxicationibus (nam ſect. 38. l. c. putat, ipſum propter ſanguineam temperiem angelorum & ſpirituum exiſtentiam negaſſe, & communitatem uxorum ſtatuiſſe,) relictum nec cœlum, nec infernum, nec dæmonem, nec angelum, nec animæ immortalitatem credidiſſe. Ex Apologia tamen ad Comitem Oldenburg. A. 1540. a Davide Georgio ſcripta, & quam *Gottfried Arnoldi* ex Belgico idiomate converſam ſuæ, quam vocat, Kirchen- und Ketzer-Hiſtoriæ *P. II. L. 1. c. 21. p. 290. ſqq.* inſeruit, videre licet, ipſum Georgium num. 4. teſtatum fuiſſe, quod nunquam vel voce, vel ſcriptis angelorum exiſtentiam negaverit. Num. 5. autem negat, ſe unquam dixiſſe, diabolos viſibiles & eſſentiales (ſichtbare und weſentliche Teuffel) non exiſtere. Quantum ex hujus Apologiæ Articulo 5. ſubobſcure colligi poteſt, id voluiſſe Georgium credibile eſt, hominem ſibi ipſi eſſe diabolum & inimicum, a quo proinde maxime omnium cavendum ſit. Nec amplius ſe ſtatuere diabolum ſine ipſo per ſe ſolum quicquam in ipſum poſſe.

Glanvillo. *Joſephus Glanvilius*, Regius quondam Concionator aulicus, & Societatis Anglicanæ membrum, in erudito Tract. quo exiſtentiam ſagarum, ſpectrorum, eorumque apparentias demonſtrat, exiſtimat, Platonis hypotheſin probari poſſe, ſpiritus ſcil. non ab omni corporea mole eſſe liberos, idque tum ex noſtræ ſenſationis conſtitutione, tum ex totius naturæ analogia. Cum enim omnem ſenſationem per motus materiales fieri animadvertamus, putat, comprehendi non poſſe, quomodo ipſi ſpiritus omni materia deficiente ſentire poſſint? Analogiam autem naturæ requirere, ne ſaltus fiat, qui certe fieret, ſi inter purum ſpiritum atque nos, qui tam alte craſſæ materiæ immerſi ſumus, nihil medii de ſubtiliori materia interponeretur. Deinde putat inter ſpiritus aut dæmones malos dari differentiam, aliquos vero argutiores & ſubtiliores natura; atque hos ſpiritus poſteriores tanta uti calliditate in converſatione cum hominibus, ut ab ingeniis acutis & minime ſtupidis ne pactum quidem expreſſum exigant, quod exemplo cujusdam eruditi M. Eduardi probat.

Godelmanno. Paulo longius proceſſit *Joh. Georg. Godelmannus*, in Acad. Roſtoch. Profeſſor, qui Magos, veneficos, ſortilegos & lamias ratione criminum diſtinguit, *L. 1. c. 2.* Definitionem lamiæ exhibet *l. 1. c. 1. §. 14.* Eas autem per aërem volare, cum dæmone concumbere, & tempeſtates excitare negat. *c. 4 5. & 6.* adeoque ſi impoſſibilia fateantur, non eſſe puniendas *L. II. c. 2. §. 19.* contendit.

Johann.

Johann. Baptiſta van Helmont, Medicus Chymicus per ignem, (quemadmodum non ſine reprehenſione ejus meminit *Robertus Boyle* in dubiis Paradoxis Chymico - Phyſicis, p. 102.) in Operibus ſuis Latine editis Francof. 1682. p. 537. a Filio, *Franciſco Mercurio* Barone *van Helmont* 1683. in fol. Germanice verſis, Tractat. 54. c. X. recepta injecta, quæ Germanice eingeſchoben durch Hexerey reddita ſunt, explicat. Vocat autem recepta injecta, portenta ſpiritualia cooperante Satana perpetrata. Tria nimirum hominum genera conſtituit, quos diabolus Patronos in cathedris, curiis & aulis nactus ſit. *Primos* vocat, qui diabolum, adeoque præſtigias & incantamenta ejus negant. *His ſuccedunt*, qui diabolos credunt, eos vero humano generi non inimicos dicunt, & ſagarum præſtigias pro fabellis fallacibus & nugis hypochondriacis habent. *Ultimi ſunt*, qui Scripturæ autore ducti opera diabolica admittunt, ſed hæc omnia artes meras eſſe ſtatuunt, quæ non alio titulo damnantur, quam quod a Satana ad malum ſint inſtituta; §. 5. octo proportionibus explicat, quantum diabolo competat in actionibus ſagarum. Nimirum docet §. 6. 7. 8. Cacodæmonem non habere potentiam attingendi formam aliquam, reſtare autem ipſi poteſtatem movendi corpora, in Germanico: die Krafft einen Cörper zu bewegen. Neque tamen per attactum movere corpora, etiam quæ aſſumit, quandoquidem extremitatibus careat, ſed ſolo nutu & aſpectu intuitivo, qualis eſt noſtrum velle in ſua organa. Diabolum autem per ſe eſſe inefficacem ad perficienda opera, niſi anima mancipii adjuvetur, & ſibi adſciſcat mentem humanam, cui hæc inferiora ſubſunt. Ut vero incantatio procedere poſſit, docet, *diabolum poteſtate libera, & a ſagis mutuata exigere contactum, ut formatas a cliente ſuo ideas connectat, & ſic diradiet in formas*, uti loquitur, *ſubſtratas*. Ex hac ratione cum diabolus ipſam applicationem complere ex ſe nequeat, ſuſcitare ideam fortis deſiderii & odii in ſaga, ut mutuatis iſtis mentalibus & liberis mediis transferat ſuum velle, per quod afficere intendit. *J. B. van Helmont.*

Et *Franc. Mercurius van Helmont*, filius, in cogitationibus ſuper capita 4. Geneſ. priora p. 90. ſerpentem Satanam, cujus in Geneſ. mentio fit, vocat caput vermium, cujus regnum eſt regnum tenebrarum, & quæ ſunt reliqua, ibidem evolvenda. *Mercur. Franc. van Helmont. Filio.*

Joannes ab Heemskerck ICtus & in ſupremo Hollandiæ conſeſſu Senator, in libello, quo ſub hiſtoriæ Arcadicæ umbra jura & antiquitates Hollandicæ explicantur, varias aberrationes, circa Sagarum negotium, in antiquis judicibus exagitat, & plurima ad phantaſmata & imaginationem p. 61. refert. *Heemskerckio.*

Edoar-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [69] - 63
PUBLIC DOMAIN

Herberto. *Edoardus* Baro *Herbert* de Cherbury, & Dominus Caſtri Inſulæ Kerky in Hibernia, a ſacris belli conſiliis Jacobo & Carolo, Regibus Angliæ, in Libro de veritate p. 289. communem ſententiam profert, quod miniſterio ſpirituum quorundam revelationes utplurimum fiant, quos tanquam exiſtentias quasdam natura ſua inviſibiles, inpalpabiles, a corporea mole liberas, dote agilitatis prædítas, ſeu Angelorum, ſeu Dæmonum, ſeu intelligentiarum, ſeu Geniorum, &c. nominibus inſigniantur, omne agnoverit ſeculum.

Hobbeſio. Nemo fere liberius de artibus magicis & ſagis raciocinatus eſt *Thoma Hobbeſio.* Hic enim in Leviathane *c. 45. p. 305.* de Dæmonibus ſic philoſophatur: *In hoc conſentiunt omnes, eſſe dæmones, non minus inepte, quam ſi quis videt in ſomniis homines defunctos, animas eorum hominum eſſe diceret, quos ante viderat. Vel, cum, ſi formas ſuas in ſpeculo viſas animas ſuas, vel ſtellas in aqua viſas ſtellarum animas appellaret.* Et cum Scripturam Sacram aſſerere animadvertiſſet, quod dentur Magicæ operationes, veluti reſpondendo ſubjicit: *Levit. cap. XXXVII. p. 706. Si incantatio non ſit (ut multi eſſe putant) effectio mirabilium per verba & ſonos, ſed impoſtura ex modis naturalibus facta illuſio, adeoque procul ab operatione ſpirituali, ut impoſtores ipſi ſcientia nulla cauſarum naturalium, ut ea faciant, nec alia re indigeant, quam ignorantia, ſtupore & ſuperſtitione generis humani, loca illa, quæ opinioni de Magia & incantationibus favere videri poſſunt, alium habere ſenſum debent, quam primo intuitu habere videantur. Satis enim manifeſtum eſt, verba effectum, niſi in eos, qui intelligunt, habere nullum. Neque effectum in ipſos intelligentes ullum, præter declarationem, quid cogitant, illis, qui loquuntur. Itaque quando virga videtur ſerpens, aut aqua ſanguis, aut aliud miraculum factum videtur per incantationem, niſi fiat ad populi Dei ædificationem, neque virga, neque aqua, neque aliud incantatur, præter ſpectatorem, totumque miraculum incantationis in eo conſiſtit, ut impoſtor hominem deceperit, quod miraculum non eſt.* Et ſubjicit deinde, quomodo illud fieri poſſit.

Jacobo Rege Angliæ. *Rex Angliæ, Jacobus*, in dæmonologia *a Jacobo Montacutio*, Wintonienſi Epiſcopo, cum Opp. Regiis edita, formidabilem ſagarum multitudinem effeciſſe ſcribit, ut iſte tractatus deproperaretur, graviterque in *Scotum*, Anglum, & *Wierum* invehitur. Invectiva in Wierum nimis acerba eſt, cum Wiero pietatem ne adverſarii quidem negent. Scotum vero præter ea, quæ apud Voëtium habentur, *Reinoldus* in cenſura Lib. Apocryph. & *Perkinſius* in Baſcanologia oppugnarunt.

Kroman-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [70] - 64
PUBLIC DOMAIN

Collocutor primi diei, inſtituti conventus meliorum ingeniorum Lutetiæ, ſortilegium definit, quod ſit ſpecies Magiæ, per quam alteri nocetur auxilio dæmonis.

In Germania dari ſagas pauciſſimi negant, imo nec ipſe cautionis criminalis Autor dub. I. Idem ſentiunt Goldaſtus, Reinkingius, Carpzovius, Berlichius, Manzius, plurimique alii. Veterum Germanorum autem ſuperſtitionem, & quos Deos coluerint, tradit Tacitus in Germania *c. 8. 9. 10. Hiſtor. IV. 61. 62.* ubi de Velleda, Vate virgine magni æſtimata mentio fit. Plura addit Lipſius in Comment. & Fœrſtnerus, quorum prior Luitpordi legem ſequentem adducit: Qui ad arborem, quam ruſtici ſanctivam vocant, adoraverit, vel incantationem fecerit, componat medietatem pretii ſui in ſacro palatio. Clarius nos docet Sebaſtianus Franckenberger in Chronico Germanorum p. 308. quod novem annos ante adventum Chriſti Rex Francorum Clagio XIX. magicas artes exercuerit, ejusque mater Lothildis, Thuringiæ Regis filia, per magiam tempeſtates excitare, hoſtibus, licet per multa milliaria abeſſent, cladem inferre, ſimiliaque potuerit. De Pruſſis antiquis autor eſt Hartknoch. in diſſert. ſelectioribus de variis rebus Pruſſicis, Diſſ. 6. ipſos multiplices Deos coluiſſe, & Diſſ. 9. Weiones memorat, & ſortilegos, qui priores arte Magica ventos, ubi voluiſſent, inflectere potuerunt, poſteriores vero ex aquis de abſentibus vaticinare, injectis ſignis & imaginibus. Germanos vero lares habuiſſe, adeoque dæmonum operationes non penitus ignoraſſe ſatis notum eſt. Ut proinde falſo dicatur, Magicarum artium traditionem apud Germanos ex Pontificiorum ſuperſtitione, & propagato ab ipſis in Germania cultu demum innotuiſſe. Add. Magni Danielis Omeſii Diſſert. ad c. IX. Tacit. de Germanorum Veterum Theologia & Religione Pagana. Schedius de Diis veterum Germanorum. Quæ dum prætermitto, moneo in tranſcurſu, his demum artibus, ad fallendum inſtructis, ſuperiorum memoria ſeculorum factum eſſe, ut veritas ſpectrorum magnopere in dubitationem vocaretur, ab iis imprimis, qui vulgo prudentiores videri volebant. Erant enim doli parum ſolertes, & crebri nimis, cum monachi ut ſuperſtitioni pondus adderent, & divinam quandam autoritatem conciliarent, vel aliis lucris commodisque intenti, neſcio quam ſpeciem publice privatimque mentirentur. Eo attinet, quod Jul. Cæſ. Capaccius promit in Paradiſ. Ital. Clementis Veigelii. Jung. G. J. Voſſius de origine & progreſſu Idololatr. L. X. c. 6.

Opinionum monſtra ex abſurde inter ſe conjunctis ideis oriri *Lockio*, monſtrat

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [71] - 65
PUBLIC DOMAIN

monſtrat *Jo. Lockius* in docto opere de intellectu hum. *L. II. c. 32. §. 10. Haud lemurum & ſpectrorum ideæ*, ait, *cum tenebris majorem habent, quam cum luce, cognationem; attamen ſi ancilla inepta, aut alius quis eas ſæpius inculcando in mente puerili adunaverit, haud fortaſſe inde evellere aut diſſociare unquam potis erit, verum impoſterum ſemper tenebræ, quæ pueris terriculæ ſunt, ſeni terrorem injicient.*

Luthero. De *Luthero* ſatis conſtat, quantam potentiam diabolo conceſſerit in excitandis tempeſtatibus, in inficiendo peſtilenti aëre, in inſpirando hominibus cogitationes, & temperamentum melancholicum ac triſtitiam, cum diabolus ex Lutheri mente muſicam plane ferre non poſſit, ſed ipſam omni modo fugiat. Et licet in colloquiis menſalibus C. 8. & 9. multa, pro ſimplici ac credula iſtorum temporum perſuaſione, de diabolo & ſpectrorum operationibus legantur, Lutherus tamen p. m. 105. b. Colloquiorum, cum ſermo de infantibus ſuppoſititiis (von Wechſelbälgen) & ſpectris incidiſſet, ſomniis & phantaſiæ accenſet, quod obſtetrix aliqua confirmare voluerit, ſe per aquam ad fœminam in flumine Molda, tanquam in fornice hoſpitantem, deductam fuiſſe. *Tom. V. Germ. Jenenſ. fol. 168.* quid ſentiat, clare dicit: S. Gregorius zeiget an viel Exempel von Geiſtern die erſchienen/ welchen er/ als ein einfältiger guter Mann/geglaubet / als wären es Seelen/da es nun offenbahr iſt / daß es Teuffel ſind. Et in Poſtillis, ubi de ſpectro quodam ſermo eſt, negat, quod anima hominis nunquam apparere potuerit, neque etiam quærendum aut diſcendum quicquam eſſe ex ſpectro, licet illud anima aut ſpiritus bonus ſit.

Malebranchio. De *Franc. Malebranchio*, Philoſopho Carteſiano, & docto Congregationis Oratoriæ, uti appellatur, Patre noſtro adhuc tempore inter Pontificios, monitum jam ante a nobis eſt. Legi omnino apud ipſum merentur ea, quæ de modo habet, quo quis imaginando ſe ſagam eſſe, aut proficiſci ad Sabbathum aut aliam formam induere putat, *L. II. c. 6.*

Melauchthone. *Philippus Melanchthon* ſuo tempore communis Germaniæ Præceptor in humanioribus & Philoſophia dictus, in initiis doctrinæ Phyſicæ L. II. p. 290. ſpectra inter prodigia refert, & p. 292. nec μεταφορα, ſed malorum angelorum terriculamenta eadem eſſe ait, atque ex doctrina Eccleſiæ conſtare, ſæpe conſpici Angelos bonos & malos, taleſve occurſitationes fieri non cauſis Phyſicis, ſed libera voluntate. Vid. ejus liber d. anima. p. 95.

Michael

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [72] - 66
PUBLIC DOMAIN

Michaël Montanus, quem Naudæus in Bibliographia Politica, quantum ad mo- *Montano.*
talia attinet, cum Platone & Aristotele contendit, L. XIII. c. XI. des Essais, quæ Anno 1588. prodierunt, lamias commiseratione potius, quam pœnis, dignas esse judicat, adjiciens exemplum de vetula, quæ, cum ipsi ad excutiendam incredulitatem esset monstrata, ipseque diligenter in ipsam inquisivisset, tametsi non facile sibi imponi posset, omnia expertus, judicavit, istam potius helleborum, quam cicutam, meruisse, & annectit sententiam, esse hoc conjecturis suis nimis magnum pretium ponere, si propter has solas vivos adhuc coquere velint homines.

Heinricus Morus Opp. Londini in fol. 1671. editorum Tom. 2. p. 327. animas *Moro.*
separatas impertiri somnia, & apparere in vita degentibus sustinet, & Cardano ac Vanino spectra negantibus indignatur. Putat vero pag. 382. spissitudinem aëris efficere, ut spectra sint frequentiora, nec a ratione abludere Lapponum & Scandiæ incolarum morem, mortuorum corpora sub focis sepelientium, ut spectrorum apparentiæ cessent. In Islandia enim ob crassum aërem interdum formas demortuorum sic obvias esse, ut ob similitudinem persæpe apprehendi eæ a vivis soleant. Cæterum Bodini sententiam tam certam esse putat, ut Wieri argumenta leves Rhetoricationes appellet in Antidoto Atheismi p. 127. c. XI. §. 3.

Viros falso de Magia suspectos vindicare voluit *Gabriel Naudæus*, Mazarini *Naudæo.*
Cardin. Bibliothecarius, in Apologia multorum illustrium Gallice edita. Apparet inprimis ipsum eniti, ut fidem Bodini & Remigii elevet, & Sylvestrum II. Agrippam aliosque certo pro Magis creditos excuset. Commemorandus etiam *Orchardus*, *Orchardo.*
concionator Reformatus in Nova Anglia, vel ex solo Libro suo Anno 1670. edito cognitus. *Abraham Palingus* Anno 1659. Magistratui urbis Hamelensis inscribere *Palingo.*
non dubitavit libellum, cujus Latino sermone titulus reddi potest: *Larva Magiæ detracta.* In quo Reginaldum Scotum fere ubique sequitur, & fœminas, quas lamias vocamus, atra bile agitari & deceptas esse confirmat. Communiori eruditorum sententia creditur, lamias renunciare Trinitati, vera pacta inire cum diabolo, & nocere passim hominibus.

Seculo XVI. paulo ante dimidium floruit *Paracelsus*, alias Aureolus Philip. *Paracelso.*
pus Theophrastus Paracelsus-Bombast ab Hohenheim dictus, quem titulum Opera ipsius Latine Genevæ 1658. edita præferunt. De occulta Philosophia Libro I. Opp. p. 493. Magiam describit, *quod sit prompta & subtilis ars, nullis ceremoniis aut conjurationibus contaminata & polluta, velut est Nigromantia. De illa enim nec ceremoniæ, nec conjurationes, nec consecrationes, nec benedictiones, nec maledictiones adhibentur, sed sola fide, qua de Christus inquit, ipsam montes transferre & in mare exturbare, ac spiritibus ascendentibus omnibus imperare, illosque cogere & domare:* subjungit mox, *Magiam, si in superstitionem degeneret, homini damnum dare & beneficium fieri, quod sagæ faciant, quæ in artem hanc irrepserint, ac in illa ceu sus in volutabro se proluerint,* neque putat iniquum esse, ejusmodi sagas exurere, cum sint nocentissimæ. Nam licet damnum corpori suo non infligant, per fidem tamen falsam spiritus & ascendentes immittere, qui vel centum milliaribus absentes pro suo arbitrio verberare, pungere & occidere possint, ut nemo ab ipsis tutus sit. Lib. I. c. 4. p. 540. Spiritus qui humanorum secretorum capaces sunt, vocat *flaga, hosque Spiritus artis Nigromantisæ ope cogi posse dicit, ut se visibiles faciant, per speculum, crystallum, carbonem, &c. nec se tantum, sed & illud, quod absconditum habet is, cujus flagum est, atque hoc pacto inveniri thesauros absconditos, legi literas obseratas, nudum apparere, quod obtectum,*

ostendi locum, ubi quid reconditum est. Cui de Magorum & Sagarum operibus addi potest locus antecedens Vol. III. p. 452. & in Philosophia occulta seu sagaci Lib. VII. In Herbario Opp. Vol. II. p. 173. *Spectra esse dicit visiones, quæ prodeunt ex astrali corporum mortuorum.* Hominem enim habere duplex corpus, unum ex elementis, alterum ex firmamento. Elementare mori & in terra putrescere, ubi sepultum est, alterum obvolitare in aëre supra terram. Hujusmodi corpora ætherea hominis defuncti si appareant, spectra esse.

Pomponatio. Floruit initio seculi XVI. Philosophiæ laude in Italia clarus *Petrus Pomponatius*, Mantuanus, imprimis cognitus libro, quem de naturalium effectuum causis s. de incantatione Basil. per Henricum Petri mense Augusto 1556. in 8vo impressum edidit, de quo Picus Mirandulanus L. VI. judicat: Pomponatius in opere de incantationibus nec Philosophum sobrium nec Christianum exhibuit, cum effectus mirificos cœlorum influxionibus adscribit. Quare illud opus a Tridentino indice proscriptum est. Et dilatam tamdiu fuisse proscriptionem miratur Delrio l. Magicar Disquis. c. III. q. v. 1. Pomponatius imprimis adversus eos disputat. c. 1. qui effectus incantationum a dæmonibus fieri credebant, & p. 46. concludit, multos habitos fuisse Magos & Necromantas, uti Petrum Aponensem, Ciclum Ejulanum, qui tamen nullum commercium habuerint cum spiritibus immundis, imo qui fortassis cum Aristotele dæmonem non esse crediderint. *Conclus. 2. cap. 13. p. 322.* probat propter effectus, quos communiter homines attribuunt dæmonibus, imo & bonis Angelis, non interveniente Deo, secundum modum specialem, sed solum generalem, dimisso etiam Aristotele, probari non posse, tales substantias immateriales esse. Et p. 330. putat, sententiam Apuleji Platonici, de quo Augustinus de Civ. D. XV. 8. loquitur, quod senserit dæmones esse genere animalia, animo passiva, mente rationabilia, corpore aërea, tempore æterna, longe melius defendi posse, quam si ponantur simpliciter immateriales. Concluſ. 7. p. 345. propter determinationem Ecclesiæ concedit tamen, quamvis non sit impossibile, aliquem hominem sic operari, ut angeli & dæmones in aliquo casu operantur, vero similius tamen esse, talia operari angelos & dæmones, 1) quoniam sic determinarit Ecclesia. 2) quod sint sapientiores & magis callidi. 3) Quoniam sint virtuosiores.

Psellus. Post Alcoranum editum, de quo vid. Hottinger. Histor. Oriental. l. II. 4. p. 213. 261. sqq. vixit seculo XII. Mich. Psellus, qui de dæmonibus eorumque operationibus variis, & arte Magica eruditus a Marco quodam Monacho, Chaldæorum doctrinis dedito, dialogum conscripsit de operationibus dæmonum, in quo posita Hypothesi, dæmones corporibus uti, multa de ipsorum natura, de Magis, sagis & morbis ab iisdem immissis differuntur, quæ cum Marco haud dubie Psellus amplectitur. Dialogum hunc primum Græce vulgavit notisque illustravit *Gilbertus Gaulminus*, Molinensis, eundemque a Daniele Hasenmüllero, Professore Kilonienſi, 1688. iterum editum esse constat.

Reginaldo. In Anglia Reginaldus Scotus nobilis gente, circa initia præterlapsi seculi, Anglico sermone edidit, Discoverie of With craft, detectionem artis Magicæ, ubi sex libris omnem Magiam oppugnat, eamque dari prorsus inficiatur. Liber An. 1609. in Belgicum sermonem translatus, iterum An. 1680. Beverovici non sine elogiis docti Petri Scriverii & Gerhardi Tuningi, Juris in Academia Lugdun. Prof. prodiit, ut persvasisse Batavis sententiam videatur.

Sorbona. Nec Sorbonæ diversum placuit, uti ex ejus determinatione Paris. 1398. facta conspi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [74] - 68
PUBLIC DOMAIN

conſpici poteſt, quamque Bodinus Dæmonologiæ ſuæ præmiſit. Non aliter Epiſcopi Romani in ſequenti ætate ſenſerunt. Innocentius VIII. Heinricum Inſtitorem & Jacobum Sprengerum Bulla inquirendi in Lamias A. 1484. inſtruxit. Circa initium ſeculi XVI. ſimilia repetuntur *ab Hadriano VI.* d. Tit. in decreto 7. & in Concil. Lateran. a *Leone X.* ad ordinarios dominii Veneti.

Hic referenda eſt ſententia Benedicti Spinoſæ, quæ in Ep. 30. ad Balingum p. 374. opp. poſth extat, quo minus homines norint naturam, eo facilius multa poſſe fingere, veluti arbores loqui, homines in momento mutari in lapides, in fontes, apparere in ſpeculis ſpectra, nihil fieri aliquid, etiam Deos in beſtias & homines mutari. Negat autem Spinoſa Ep. 58. quæ in Opp. poſthumis in 4to 1677. p. 569 extat, ſpectrorū exiſtentiam, & ad quæſtionem reſpondet: *Fateor, me non parum, non hiſtorias, quæ narrantur, ſed eos, qui eas ſcribunt, obſtupuiſſe. Miror viros ingenio & judicio præditos, facundiam ſuam inſumere, & ea, ut nobis ejuſmodi nugas perſuadeant, abuti. Hos ergo, & quod reſtat prætermittens, concludo, quod hæ hisq; ſimiles rationes neminem convincant. Spectra vel lemures omnis generis dari, qui aures intellectui occludentes, ſe a ſuperſtitione ſeduci patiuntur, quæ adeo rectæ rationi infeſta eſt, ut potius, quo Philoſophorum æſtimationem minuat, fetulis fidem habeat.* *Spinoſa.*

Theodoro Thummio in Academia Tubing. Theologo & Profeſſori ab Editore ſecundæ & tertiæ Editionis Theſauri Practici Beſoldi in voce Hexen imputatum eſt, quod eſſet Wierianus, quod eſt ſpecies hæreſis & Atheiſmi, a quo crimine ipſum *Mauritius* vindicat, additis nonnullis ex libro Thummii, qui Sagarum impietas inſcribitur. Id enim tantum Thummius egerat, ut commoneret, ne nimis præcipitanter cum ſagis ageretur. *Thummio.*

Don Franciſco Torreblanca Villapondo, Cordubenſis JCtus & in Granatenſi Cancellaria Advocatus Regius, Libr. IV. de Magia, Magis, Sagis, eorumque pœnis juſſu Regis Hiſp. uti Rex Angliæ Jacobus proprio ſtudio fecerat, edidit, & opus Paulo V. ac Philippo III. Regi Hiſp. dedicavit, non diſſentiens in ſumma rei a Jacobo Rege & Delrio. *Torreblanca.*

Magiæ origines Matthæus Vayerius, in Pariſienſi Senatu Conſiliarius Opp. Gall. in fol. editorum T. I. p. 144. & T. II. p. 551. ex hominum curioſitate deducit. Quoniam enim dulce eſt, facili obtinere opera, quicquid deſideres, quod Magia pollicetur, liquere putat, nullum in homine inveniri affectum, cui ipſa non blandiatur. Vanitatem artis tamen arguere faſtidium, quod iſtos cepit, qui diligentiſſime ipſam quæſivere. Neronem enim Principem apud Plinium magno ſumtu ad ſe accerſiviſſe famoſiſſimos Necromantarum, & inter hos Regem Armeniæ, Tyridatem, omni tamen impenſa opera nihil quicquam impetraſſe, quod ipſi ſatisfaceret, adeo, ut imprimis eos irrideret, qui Magiam profiterentur; allegat deinde impoſturas Magorum, & cauſas naturales, quibus effectus Magici producuntur. Aliquot Pontifices, ait, de Magia fuiſſe ſuſpectos, qui artes naturales Mathematicas, uti Geometriam excoluerunt. Mexicanos vero ſacerdotes jactare ſocietatem cum Diis, qui interim unguento quodam Tartareo ſe inungant, ut etiam beſtiæ ipſos fugiant ſolique ſint. Idem ſentiendum putat de lamiis, & viſionem Baſinæ Thuringæ, Magni Clodovei matris, fabellis accenſet. Vates ſe ſucco oblinere, ut ſpumare & furere incipiant, ut recte Plinius & Cicero mirentur, cur Dii potius hominibus inſanientibus, quam homini ſapienti futura inſpirare velint. Cæterum citra nominis Chriſtiani jacturam veram dari Magiam negari non poſſe ſtatuit, quoniã de evocato per Magiam Saule, de Magis Ægyptiis & Simone teſtatur Scripturarum veritas. Hæc *Vayerio.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [75] - 69
PUBLIC DOMAIN

Verulamio. Hæc eſt ſententia *Baconis de Verulamio*, Vice-Comitis de Albano & ſummi quondam Angliæ Cancellarii, quique judice Pufend. in ſpecimine Controverſiæ c. I. §. 5. primum claſſicum noſtra ætate ſuſtulit, ut in rebus Philoſophicis aliquid ulterius inveſtigaretur, quam quo hactenus ſcholæ reſonuerant. De ſagis enim in hiſtoria naturali Centur. X. Opp. p. 948. §. 903. inquit: *Sagas turbat imaginationis vertigo, ut putent illud facere; quod non faciunt, populumque eludit credulitas, ut naturæ opera imputent faſcino. Obſervatione dignum, quod priſca & noſtris temporibus propiore ætate* (de ſagis olim Theſſalis, deprædicatisque non ita pridem veneficarum congreſſibus, quorum plurimæ meminerunt confeſſiones,) *quæ extant prodita ſcriptis miracula, ut ſublatio in aërem, transformatio ſui ipſius in aliud corpus &c. non incantationibus aut Magicis ceremoniis geſta narrentur, ſed corpore unguentis delibuto. Quæ merito ſuſpicionem movere poſſunt, ludibria hæc eſſe imaginationis, cum certum ſit, unguenta ubicunque applicata obdurare poros, vaporesque cohibitos transmittere ad caput, & quod ad particularia, ex quibus unguenta illa componuntur, opiata & ſudorifera eſſe. Inunctionem enim frontis, colli, ſpinæ dorſi, novimus adhiberi conciliandis ſomnis lethalibus.* Hinc Regibus ſagas nocere non poſſe putat Verulamius, quoniam imaginationis impotentia imaginantem hoc deſtituit, ut nullam impreſſionem facere poſſit.

VViero. In Germania ante annos aliquot *Johann. VVierus*, Guilielmi, Cliviæ Ducis Medicus, eruditionis laude & pietate, ipſo adverſario ejus *Eraſto* fatente, clarus, Tractatum ediderat de præſtigiis dæmonum, ubi inter alia dæmonem ſæpe intervenire ſine ſagarum culpa tradit. Qui cum in manus Bodini perveniſſet, occupati in eodem argumento, acri & peracerbo ſcribendi genere ipſum refutare aggreſſus eſt, & rejecto pacto imaginario, verum & reale inter diabolum & lamias intercedere probare annitebatur.

Parum de cætero morabimur, quid de ſpectris & dæmonibus tradant *Plutarchus* de Nat. & defect. dæmon. *Plinius* Ep. 27. lib. 7. *Franc. Sylveſter Prerates* de Strimagar. dæmonumque mirandis. *Ric. Argentinus* de Præſtig. & incantat. *Jean Boulaiſe* l'Hiſtoire du Diable de Laon, en l'an 1566. *Leo Vairus* de faſcinat. *Hieron. Mengus* de Flagello dæmonum. *Sebaſt. Michaël* Pneumatologie ou Diſcours des eſprits & des ſorciers, *Jo. Jac. Boiſſardus* de divinatione & magic. præſtig. &c. *Andr. Caſalpinus* Dæmon. inveſtigat. Peripat. *P. Thyræus* de divin. Nov. Teſt. apparitionibus, *Philipp. Ludovic. Elich.* Dæmonomag. *Jo. Fileſacus* de Idololatria Mag. *Lavaterus* de Spectr. & alii paſſim, quorum ſententias, cum recenſere nimis prolixum ſit, eos nominaſſe ſufficiat.


Claudat itaque agmen Vir omnium ore celebratiſſimus *Dn. D. Chriſtian. Thomaſius*, qui, ut VViſſenbachium cum Senatu Pariſ. timorem ſpectrorum verum pronunciante conciliaret, ad Huberum Poſit. π tit. de Loc. cond. ita ſubmonet: „Eſt metus hic non ſemper vanus, quia dantur ſpectra, idque non credimus ſaltem, ſed & ex variis exemplis ſcimus. Sed eſt tamen ſæpe „ vanus, tum propter exceſſum imaginationis, tum propter varios dolos hominum malignorum &„ otioſorum. Ut proinde Virum celeberrimum vel non recte tunc rem perpendiſſe, vel ſententiam affirmantem mutaſſe, vel nobiſcum conſentire, concludendum ſit.

Quoniam igitur argumentum hoc ea animi moderatione, quæ hominem veritatis amantem decet, pertractare anniſi ſumus, neminem nobis jure ſuccenſere poſſe plane confidimus, etiamſi diverſam, aut plane contrariam, a noſtra demonſtratione foveat ſententiam. Veritas perpetuo conſtabit, quantumvis non idem inquirentium de ea ſenſus ſit. Quæ vero ſententia alteri præferri mereatur, ex rationum placida collatione intelligitur, non ineptis concertantium convitiis, quibus illis depugnare mos eſt, qui, cum nihil ſolidi, quod reponere poſſint, habeant, acquieſcere tamen, niſi cornu prius ferierint, nolunt. Nobis proinde veritatem ſemper conſectari, adverſariis placide & cum modeſtia ſatisfacere mens eſt. Bonam ergo humanitatis indolem ab iis viciſſim nobis pollicemur. Sin autem quid ſecus ex argumentorum inopia, aut jactata elatione animi, parum certe philoſophica, evenerit, iſtud contemtu & moderati ſilentii pœna vindicabitur.

TANTUM

Errata, quæ ex typographorum feſtinatione irrepſerunt, eruditus Lector benevole excuſabit.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [76] - 70
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [77] - -

PUBLIC DOMAIN


GWLB Hannover 35
036 856 495

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [78] - -

PUBLIC DOMAIN


Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

IV 4, 605 e

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [79] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [80] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 223, Stück 5, [81] - -

PUBLIC DOMAIN